







l. 1

npl



Not in Legano
Estudio
in Concurso
literario en honra
de Santa Rosa de
Lima.

AD MIRABILIS VITA
S. ROSAE

A. SANCTA MARIA
Virginis Peruanæ Tertiæ
Regulæ Ordinis S. Lominici

Quam

CLEMENS X. SOLEMNI

Canonizationis ritu, Sanctorum

Catalogo adscripsit Anno

1671. 12. Aprilis.

Iuxta Exemplar Romæ impressum.



COLONIÆ

pud MICHAELEM DEMENTIUM Bibliopo-
lam, sub signo Nominis Jesu
M. DC. LXXI.

Permissu Superiorum.

JOHN CARTER BROWN

everendissimo, Eximio,
Amplissimo Præsuli ac Domino
Domino Philippo, SS. Theologie
Doctori absolutissimo, celeberrimi
Monasterij S. Nicolai in Braunve-
r, Ordinis Divi Benedicti, Sacrae
Unionis Bursfeldensis, Abbati Dis-
tinctissimo, Domino temporali ibi-
dem, in Clotten, Messenich, Locis-
que annexis, &c. Domino ac Patro-
ni omni observantia colendissi-
mo.

Rosam purpuratam
Et diademata florū
Reginam quam recte ter-
ra stellam dixit, (quisquis
dixit:) hoc eleganti præco-
nio

DEDICATIO.

nio exornavit Sapho. Si
 floribus Jupiter, vellet im-
 ponere Regem, Rosa inter
 flores regnum obtineret. Et
 rectè; est siquidem illa orna-
 mentum terra, plantarum
 decus, oculus florum, prati
 rubor, pulchritudo corus-
 cans, cura amorq; veris,
 cœlitum voluptas, horti
 purpura, veprium sanguis,
 corolarum ostrum, murex
 ruborum, valetudinis An-
 tistita, morborum fugatrix,
 reparatrix sanitatis, capi-
 tis ornatus, narium deli-

DEDICATIO.

tium, illicium oculorum. Ita de Rosa passim, rosacei
 odoris amantissimi Scrip-
 tores. Liceat nunc idem met
 mihi Rosæ nostræ Peruanæ
 (seu verius dixerim Elysæ)
 adaptare: nam ut à Prin-
 cipe elogio exordiar, quis
 tam terræ stellam negave-
 rit, quæ utrique simul hæ-
 mispherio (quod astrorum
 nulli concessū est hætenus)
 nota nunc illucescit, simulq;
 utramq; cæli faciem immo-
 ra obradiat: Et ut prima
 ex novo orbe usque in ve-

DEDICATIO.

terem fulgores probata sanitatis ei aculata est, ita vicissim è veteris orbis Vaticano (aurigante numinis clementia de cælo, favente in terris vicario numinis Clemente IX.) ad suos antipodas, iam reflectit nova luminum suorum phænomena aequaliter & jugiter spectabilis ultra & citra æquatores? Quis valetudinis antistitam, morborum fugatricem, reparatricem sanitatis diffitebitur, qui legerit; quod in peccatoribus

subiis.

DEDICATIO.

Subitis conversionibus, &
 obstinatione cordium emol-
 lienda fuerit mirabilis? quod
 ejus defuncta actu, odo-
 re, veneratione, mors morbi
 pericula depulsa fuerint?
 quod defuncta Cingulum,
 vela, particula vestium, &
 uris parturientibus debili-
 bus, medicinā distillarint?
 quod eius sepulchro exemp-
 tus pulvis, dyssenteriam,
 synanchē, phrēnesim, can-
 crum, herniam, febres, pa-
 pulas aliq; id genus Caco-
 syntheta mirabiliter cura-

DEDICATIO.

rit? quodve vel Rosa ima-
gines, contactu lepram apo-
stemata, impetigines abster-
gant? Arthritidem, Hydro-
celam, anginā fanent: den-
tium stomachi cranij dolo-
ribus medeantur? Domi-
nus virtutum, (qui est mi-
rabilis in Sanctis suis) recē-
ti memoria, nostrisq; prope
temporibus, testatissima hac
mirabilia (non sub Rosa ce-
landa, sed de Rosa orbi pub-
licanda) per eam operari
dignatus est. Cujus vitam

mox

DEDICATIO.

mox subnexam ac stylo Ro-
 mano non tam expressam,
 (quis enim posset?) quam
 adumbratam, quisquis le-
 gerit; selectissimarum vir-
 tutum Rosas colliget: imo &
 saluberrimæ compunctionis
 spinas inueniet. (Nulla enī
 Rosa sine spinis.) Tuis autē
 manibus tuoque obtutui,
 Rev.^{me} Præsul, hanc Rosā
 tot virtutibus vernantē of-
 ferendā primum duxi; tum
 ut inter varias officij tui
 puncturas, bono Christi odo-
 re (quē spirat, Rosa,) recre-

DEDICATIO.

eris: tum ut tibi, doctrina ac
honoris Thomistici Zelosif-
simo propugnatori, Religio-
nisq; nostra fautori gratio-
sissimo (qua de causa in tuo-
ere ad sortis usq; desperatio-
nem sumus omnes) vel ali-
quot amoris & observantia
tributum pendam; ex flori-
bus enim (quos inter Rosa
iure & more primas tenet)
quibusdā Dynastis ac Prin-
cipibus maiorum nostrorū
memoria tributa pensitari
solita, scribit Joannes Me-
tellus. Dilexit M. Patriar-
cha.

DEDICATIO.

cha Benedictus vel ipsas spi-
nas in quibus dirā, sed mi-
ram invenit medicinam:

de quo eleganter quidam,
Scire cupis rosei flos exeat unde
pudoris?

Sola Rosas potuit gignere
puncta Venus.

non igitur abs te Rever.^{me}

Domine, tuoque resflorido as-
ceterio ac roseto repulsam
timet Rosa nostra, nam &
ipsa dilexit spinas, noluitq;
sine spinis vivere cum hor-
tulanū suum spinis in cruce
coronatum videret. Quæ
tua est modestia affectum


DEDICATIO.

estimare dignaberis animi
 mumq̃ offerētis, & perfune
 etorio saltem noctu libellum
 perstringere non gravabe-
 ris. Ita porro inter spinas
 praesulatus tui, vivas Sua-
 viter ac Constante, ut per-
 petuis ac immarcescibilibus
 rosis in calo coronet te Deus.
 Dabā Colonia ex Conven-
 tu S. Crucis Ord. Præd. 17.
 Maij Anno 1668.

Reverendissimę & Eximie Am-
 plitudinis tuę

Submississimus Servus

F. Joannes Wilhelmus Lipman SS.
 Theol. Lic. Ord. Præd.



Smi D. N. D.

C L E M E N T I S
DIVINA PROVIDENTIA
P A P Æ I X.

*Breve Beatificationis RO-
SÆ de S. Maria Limana,
in Regno Peruano India-
rum Occidentalium, tertij
Ordinis S. Dominici.*

C L E M E N S
P A P A I X.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.



Anctæ Matris Ecclesiæ,
quæ Virgo casta uni vi-
ro desponsata est Chri-
sto

sto, gloriosa foecunditas, in omni
quidem prole, quam per Dei gra-
tiam quotidie profert, multipliciter
gaudet, in Sacris vero Virginibus,
quæ studiosi charismatum melio-
rum æmulatione experte carnalis
contragionis integritatem virtutum
floribus exornarunt, ineffabiliter
exultat atque floret. Illarum quæ
accensis lampadibus exierunt ob-
viam Sponso, & intraverunt cum
eo ad nuptias, sublimem gloriam con-
dignis honoribus in terris celebra-
ri decet: ut quæ sequuntur Agnū
quocumque ierit, luctanti cum sæ-
culi tentationibus infirmitati no-
stræ, adiutorij coelestis opem atq;
præsidium à Sponso jugiter impe-
trare dignentur. In hanc curam
Nos ex debito pastoralis officij, quo
Catholicæ Ecclesiæ adstringimur,
propensius incumbentes, pijs Ca-
tholicorum Regum, aliorumque
Christi

Christi fidelium votis, quibus an-
gillarum Dei in coelis regnantium
veneratio in terris promovetur, li-
benter annuimus, sicut maturâ de-
liberatione adhibitâ, ad Omnipoten-
tis Dei gloriam, Ecclesiæ hono-
rem, Christianæ Religionis robur,
ac spirituales fidelium consolatio-
nem atque ædificationem salubri-
ter in Domino expedire arbitra-
mur. Cum itaq; diligentissimè dis-
cussis atque perpensis per congrega-
tionem venerabilium fratrum
nostrorum S. R. E. Cardinalium
sacris ritibus præpositorum proces-
sibus de Sedis Apostolicæ licentia
confectis super vitæ sanctitate, &
virtutibus in gradu heroico, qui-
bus Serva Dei Rosa de S. Maria,
Virgo Limana tertij Ordinis San-
cti Dominici, multipliciter claruis-
se, nec non miraculis, quæ ad ejus
intercessionem à Deo petita fuis-
sent.

se afferbantur, Congregatio præ-
fata coram Nobis constituta una-
nimiter censuerit, quandocunque
Nobis videretur ad solemnem e-
iusdem Servæ Dei Rosæ Canonici-
zationem, juxta Ritum ejusdem S.
R. E. tuto posse deveniri, interim
verò indulgeri, ut in toto orbe ter-
rarum Beata nuncupetur. Hinc est,
quod Nos pijs atque enixis charis-
simi, in Christo Filij nostri Caroli
Hispaniarum Regis Catholici, &
charissimæ in Christo Filix nostræ
Mariannæ Reginae viduæ ejus Ge-
nitricis, & totius Ordinis S. Do-
minici supplicationibus, Nobis su-
per hoc humiliter porrectis benignè
inclinati; de præfatorum Car-
dinalium consilio, & unanimi as-
sensu, auctoritate Apostolicâ te-
nore præsentium indulgemus, ut
memorata Dei Serva Rosa de S.
Maria in posterum Beatæ nomine
nun-

nuncupetur, ejusque corpus & reliquiae venerationi Fidelium (non tamen in Processionibus circumferendae) exponantur; imagines quoque radijs seu splendoribus ornentur, atque de ea sub duplici ritu recitetur Officium, & Missa celebretur de Virgine, non Martyre singulis annis, juxta rubricas Breviarii & Missalis Romani die vigesima Sexta Augusti, quae prima est non impedita post diem vigesimam quartam ejusdem mensis, quâ Spiritum Creatori reddidit: Hæc verò in locis dumtaxat infra-scriptis, nempe in Civitate, & Diocesi Limana, ac in universo Ordine S. Dominici tam Fratrum, quam Monialium, & quantum ad Missas attinet, etiam à Sacerdotibus confluentibus. Præterea primò dumtaxat anno à datis hæc litteris, & quoad Indias, à die quo eadem

dem præsentēs litteræ illuc perve-
nerint, inchoando in Ecclesijs Ci-
vitatis, & Dioecesis, ac Ordinis
præfatorum, nec non in omnibus
Cathedralibus, & Metropolitanis
Hispaniarum, & Indiarum, solem-
nia Beatificationis ejusdem cum
Officio & Missa sub ritu duplici
majori, die ab Ordinarijs constitu-
tâ, & intra sex menses promulgan-
da, celebrandi facimus facultatem.
Romæ verò in Ecclesia S. Iacobi
Nationis Hispanorum intra bime-
stre, postquam tamen in Basilica
Principis Apostolorum celebrata
fuerint eadem solennia, pariter
celebrari permittimus. Non ob-
stantibus Constitutionibus & Or-
dinationibus Apostolicis, ac decre-
tis super non cultu editis cæterisque
contrarijs quibuscumque. Volu-
mus autem, ut earundem præ-
sentium litterarum transumptis,
seu

Seu exemplis, etiam impressis, manu
Secretarij præfatæ Congregationis
Cardinalium subscriptis, & Sigillo
Præfecti ejusdem Congregationis
munitis, eadem prorsus fides ab o-
mnibus, & ubique tam in iudicio,
quam extra illud habeatur, quæ
præsentibus ipsis haberetur si fo-
rent exhibitæ vel ostensæ. Datum
Romæ apud Sanctam Sabinam sub
annulo Piscatoris, die duodecima
Februarii, M. DC. LXVIII.
Pontificatus nostri anno primo.

[L. S.]

L. G. Slusius.

INDEX CAPITVM VITÆ S. ROSÆ.

CAPUT I.

Rosa Nates, Indoles, Educatio, votumque
virginitatis. Folio 1

CAP. II. *Rosa* erga Parentes mira ob-
bedientia, pietas, Sollicitudo. 4

CAP. III. *Rosa*, ut sequatur vestigia
S. Catharina Senensis, Tertio S. P. Do-
minici Ordini adscribitur. 8

CAP. IV. *Rosa* mira animi submissio,
virginis candor, benignitas, aliaque
virtutes. 12

CAP. V. *Rosa* mira abstinencia, prodi-
giosa ieiunia; Eadem, tenerum corpus
cilicij, flagris, catenis domat. 16

CAP. VI. *Rosa* capiti aculeatam co-
ronam insigit; eiusdem sectulus, cervi-
calis, nocturna vigilia. 24

CAP. VII. *Rosa* domestica Solitudo, fu-
ga publici, cellula perangusta. 31

CAP. VIII. *Rosa* cum Christo mira
desponsatio, Pronuba Augustissima Im-
peratrice Angelorum. 37

CAP. IX. *Rosa* perpetuo Orationis studio
miranda

INDEX

- mirā assequitur cum Deo unionem. 41
- CAP. X. Desolatoriis, visionibus exerce-
tur, ac horrendas alterius vite pœnas
degustat. Doctorum examen subit, &
ab illis mirum in modum probatur. 46
- CAP. XI. Rosa cum Christo, Deiparâ & S.
Catharina Senesi familiariter, iucundè,
assiduè deliciatur, domesticâ tutelâ
Angeli consuetudine fruatur, variè lu-
ctatur cum Dœmone, semper victrix. 53
- CAP. XII. Rosa, persecutionibus, morbu-
rumnis pressa prodigiosa tolerantia. 62
- CAP. XIII. Rosa ardentissimus erga
Sponsum amor, variis indicis mani-
festatur; impetratum ab illa miracu-
lum sudantis imaginis, ut Christum
omnibus amandum persuadeat. 67
- CAP. XIV. Rosa cum imagine Deipara fa-
miliare consortiū: In divina Crucis sig-
nū Religio: mutui honores, quibus illa &
S. Catharina Senensis se prosequuntur. 73
- CAP. XV. Rosa fervidus amor & cul-
tus in divinam Eucharistiam, pro qua
ad Martyrium se accingit. 77
- CAP. XVI. Rosa eximius pro pericli-
tan-

INDEX

- tantum animarum Salute zelus, & studium consulendi corporali Saluti Proximorum supra modulum Facultatū. 82*
- CAP. XVII.** Rosa magna in Deo fiducia, crebro in suis suorumque necessitatibus explorata. 89
- CAP. XVIII.** Rosa Divinitus cognoscit, edificandum in urbe Limana S. Catharina Senensis Cœnobiū. Eidem alia complura arcana Deo revelate patefiunt. 93
- CAP. XIX.** Rosa mortis sue præsencia, cum Aegritudine generosè luctatur, & sanctissime moritur. 97
- CAP. XX.** Rosa funebris cōductus, exequiarum tumulus; eiusdē epulchrū Ordinarii auctoritate mutatur, solemnis corporis translatione, & ingens Fama Sanſtitatis. 107
- CAP. XXI.** Rosa post mortem, & sapissime, & multis apparet gloriosa. Eadē in scelerorum conversionibus, & obstinatione cordium emollienda mirabilis. 118
- C. ult.** Rosa defuncta attactu, odore, veneratione, mors, morbus, pericula depelluntur. Eiusdem cingulū, vestes, sepulchro exemptus pulvis, & pictæ imagines, phreſim, cancerum, lepram, & omne morborum genus mirabiliter curant. 120

CAPVT I.

ROSAE Natales, Indoles, Educatio,
votumque virginitttis.

ROSA à S. Maria, Flos de-
libatus terrarum orbis nu-
per inventi, Patriam ha-
buit Limam Regiam Pe-
ruviæ Urbem : Parentes
Gasparem de Floribus, Mariam ab O-
va, stirpe, non item opibus nobiles.
Iam Mater anno virginei partus 1586.
die Aprilis vigesima enixa est, felicif-
simo partu, solita cœteroqui in alio-
um puerperijs mirè torqueri : & pro-
iit Infans secundis pelliculis involu-
te, veluti nascuntur Rosæ. Isabellæ no-
men inditum illi fuit ab avia materna
Isabella de Herrera. Sed cum à matre,
lijsque visa fuerit repanda Rosa insi-
ere vultum trimestris parvulæ in cu-
is quiescentis, hoc aliud nomen à
prodigio traxit, & beatissima Virgo
mystica Rosa iussit illam annis adultam
S. Maria cognominari, adeoque pri-

ma forsan hæc fuit, quæ non solum divinitus nomen, ut alij, sed & cognomen acceperit. Eadem infanti Rosæ, quæ D. Catharinæ Senensi, indoles quieta, suavis, lepida: nunquam stridulis vagitibus turbavit ædes, ploravit nunquam, nisi cum semel in alienam domum illata ejulatu poposcit maternas latebras iam tum sibi gratissimas. Prodigiosum specimen heroicæ tolerantia trimula exhibuit, namque dextero pollice ab arca, dum properè clauditur, fortè correpto, dolorem egregiè dissimulavit, & manum abscondit matri eò properanti. Hilaris deinde sensit acribus remedijs totum ferè unguem absumi, & residuum lento, ac violento forfice radicitus avelli: attonito ad hæc Joanne Perez Chirurgo, qui tantillam Virginem gemere, aut expallescere nunquam vidi tempore acerbissimæ curationis. Et præcisa novacula vitata pars auris, & caput, ob adhibitam improspere ab imperita matre noxiam medelam, bullis turgidum, ac fossulis profundè ulceratum

um, à quadrimula Rosâ gemitum nulum, aut molestiæ notam expressit, cum tamen acerrimus dolor totum corpusculum identidem improvisa agitatione concuteret, & solidam noctem subferri cruciatus ardore voraci transgessisset. Duos supra quadraginta dies, ut notam cutem induceret Chirurgus Virgineam lancinavit: ac deinde sexenni, exantimo nare phascolum tertio tractu denum exemit, obdurante in his tormentis Rosâ mira constantia. Hæc rudimenta spinarum nostrum florem excoquere, ut gratissimum Sponso in ipsa infantia odorem exhiberet suavissimæ charitatis. Fortè puer virgunculæ frater inter ludendum luto illius comam imbuerat, quod cum Rosæ, non contemptum, at sordes averfatæ, accidisset ingratum, scito, inquit frater concionatoris in morem, cultos puellarum incinnos inferni rudentes esse, quibus allaqueantur incautæ animæ, ut in gehennam æternam detrahantur. Hæc verba Rosæ animum altius penetrarunt,

runt, & ad altissimam Dei notitiam vastissimæ illius menti aditum aperuerunt. Igitur statim exarsit in illa mirus conatus orandi, adeo ut nec dormiens cessaret à frequentibus precibus quibus perpetim invigilabat : Et iam tum rapte apertissimè animadvertit ad premedanda heroica vestigia S. Catharinæ Senensis, qua duce quinquennis Rosa lilium virginittatis Deo consecravir sponsione solemni, & mox capillos in scia matris sibi abscidit ad vivam usque cutem. Divinus hic ardor puellam invasit sub ipsum usum rationis diluculum, ut asserrunt illius animæ moderatores, qui omnes testati deinde sunt, nunquam illam à recto tramite gravioris admissione criminis exerrasse.

CAPVT II.

ROSAE erga parentes mira obedientia, pietas, sollicitudo.

QUod à parentum æquis imperijs non

non latum quidem unguem deflexerit
Rosa, sit ordinariæ virtutis ; erit tamen
prodigiosa, quòd fuerit divini, huma-
nique obsequij retinentissima, cum pug-
nantia inter se Deus, ac genitrix impe-
rarent. Hæc filiam vexabat indies, ut
nativam oris pulchritudinem fucò ma-
gis intenderet ; at illam alto muliebris
mundi contemptu insultare sæculi ge-
nio docebat Deus. Capiti aliquando
circumdare compulsafertum vario flo-
rum genere contextum, illi ab ima parte
affixit oblongam acum, adeoque co-
llam capiti validè impressit, ut aliena
manu contentis viribus fuerit extrahen-
da. Chirothecas, quæ delicati candoris
elegantiam augerent, induit jubente
Matre ; sed primo diriguit, amburi dein
manus experta, flammâs etiam ex odo-
ratis pellibus promicare vidit, totum
nocte intempesta cubiculum illuminan-
tes. Ne ad nobilium sceminarum domos
educeretur, clam indico pipere, quod
ardacissimum est, supercilia, & palpo-
ras sibi obliniebat, ut arderent oculi,

ruberent, stillarent, idcirco impares publicæ luci ferendæ, potio-
rem ducens eorum pupilla solitudinem, quam tanto pretio emptam genitrix illi tandem
indulset, sicut & rudem ac decolorem
saccum ex obvia, viliq̃ue materia, quam
pro amictu induit, mirum in modum
exultans. Vel ergo matrem intimis precibus
exorabat, ut sibi liceret cruentum
divini Sponsi vestigijs insistere, vel mitia
imperia ingeniosè eludebat: velut
cum iussa, non lignis, at lana sarcire cer-
vical, lanæ vim tantam operosè stipavit
ut ligno caput videretur immitti. Quia
quod non Matri solùm, sine cujus ve-
nia nec bibebat, nec muliebres labores
aggrediebatur, sed & domestico manci-
pio alacris obtemperabat; præcipuè ve-
rò cum ardua imperabantur. Cum Ma-
ter non rarò sub irata veniam libandæ a-
quæ Rosæ denegaret, infans, filiam nun-
quam bibere, nisi ipsa annuisset, in sex
& plures dies Virgo fraudabat sitim. Hi-
spidas aliquando pelliculas, quæ vim fri-
goris propulsarent, Rosæ manibus ex-
mor-

morbo contractis incauta mater admo-
vit, addito imperio, ne illas abjiceret;
toleravit obstinato silentio Rosa pluri-
mos dies mordacem pellium ardorem,
quo accensæ manus turgidis undique
tuberculis ulceratæ sunt. Quin & post
mortem à religioso Cœnobij Præside
jussa Rosæ imago argentum diù mul-
tumque frustra quæsitum mensæ super-
imponere, imposuit illicò, animante
mortuos colores obtemperandi studio.
Quæ verò cætera illius in parentes ob-
servantia, pietas, amor? exhausta viribus
ad mediam usque noctem laborem pro-
trahebat, ut illorum egestati consuleret,
& licet duodecim quotidie horas divi-
nis alloquijs consecraret, tot muliebria
pena quotidie conficiebat, quot alia
quævis celerrimè vix quatrìduo: idque
tanta elegantia, & cura, ut humanam ar-
tem superare viderentur; quamvis non
rarò dum flores acu pingeret, animo à
sensibus avvocato divina intueretur. Ad
hæc alebat in horto violas, ex quibus
vænum expositis aliquod lucrum paren-

tibus accederet; & Sponsum cœlesten
 aliunde miris, & arcanis modis supplere
 solitum, candidè confessa est religiosæ
 viro. At si fortè parentes ægri decum-
 berent, lecto assidebat insomnis, para-
 bat pharmaca, peragebat omnia opero-
 sissima Virgo, ut solatium illis afferret.
 Hic præterire non debeo prodigiosam
 lætitiâ, quam ipsa moriens dolenti
 Matri, ac secum exanimandæ impetra-
 vit; tanta enim cœlestis dulcedinis u-
 bertas maternum pectus inundavit, ut
 jurejurando falsa sit, imparem se gau-
 dio insolito perferendo plurimos dies
 jucundissimè laborasse, & hoc argu-
 mento manifestè assequutam, quanto-
 pere fluminis impetus exhilarans, civi-
 tatem Dei Rosam suam recrearet.

C A P V T III.

*ROSA, ut sequatur vestigia Sanctæ Ca-
 tharina Senensis; Tertia S. P. Do-
 minici Ordini adscribitur.*

Qui sanctissimam Virginem Catha-
 rinam

nam Senensem cum Rosa nostra com-
onant, incertus animi sit, indicumne
unc florem, an ex Italia translatum in
Peruviam dicat; usque adeò Rosa Ca-
harinæ institutum vitæ, mores integer-
imos, benevolentissimi Numinis dona,
& ipsa tandem lineamenta vultus ex-
pressit. Connubij, cui nobili, & hone-
tissimo destinabatur, spem amputare
visa est excidio capillorum. Sed egregia
formæ venustas, acre iudicium, suavitas
erectæ indolis, elegantissimi mores san-
cto Virginis consilio adversabantur.
Roseum illa candorem jejunijs detere-
re, nativam pulcherrimi vultus gratiam
omni arte abolere, manus, quarum can-
dor, & pulchritudo commendabatur
viva calce amburere, ne hominum pla-
ceret obtutibus, domi latere: adeo ut
aliquando Cantam deducta, locum me-
talli fodinis nobilem, quadriennio nun-
quam pedem extra limen extulerit, ne
semel quidē videre dignata vicinum de-
liciarum hortum, aut per celebre specta-
culum molium indicarū. Plures nihilo-

minus invita accendit ambitu honesti-
fimi thalami, ac præcipuè Matrona ge-
nere, & opibus clara, illâ unico filio su-
Sponsam optabat, & gratissimum ho-
erat Rosæ parentibus, ac fratribus, quæ
nuptiarum nomine exanimatam, pro-
bris, convicijs, alapis, calcibus impete-
bant, veluti Lapa Mater S. Catharinam
cujus ad instar Rosa injurijs omnibu-
æquissimo animo devoratis, in S. Domi-
nici viridarium tandem insita fuit, ad-
scripta Tertiæ sanctissimi Patris fami-
liæ, licet illam invitassent. cœnobია no-
bilissima, optarat S. Archiepiscopus Tu-
ribius, ab illa præcipuè, sacræ domus
quæ tunc surgebat, fundamenta poni,
Rosa studiosa sequi Seraphicæ Magistre
suæ Catharinæ Senensis Idæam, quam
quinquennis elegerat, vitæ instituto,
moribus, habitu reptæsentandam, ne-
ramen suo consilio nimium tribuere, &
parum sapientum virorum arbitrio vi-
deretur, in viam se aliquando dederat
Sanctissimæ Incarnationis Monasteriū
ingressura. At cum ultimum vale diceret

Rosæ

Virginis Peruana

Rosariano Sacello Deiparæ, visa est rupes adnasci solo, & frustra in pedes exilire tentavit, advocato sæpius ad opem ferendam germano fratre, contentisque viribus conniso; quoadusque decreto regressu ad domesticas latebras, alacritate mira surrexit. Et alio prodigio Deus ad premenda Catharinæ vestigia Rosam invitavit; nam ex Papilionibus, qui colorum varietate mirabiles Lima-
num agrum pervolitant, unus nigro tantum, alboque colore pulcherrimè striatus, circumvolitavit Rosam, quæ divinum hoc esse responsum intellexit, ut, velut animo dudum agitaverat, Prædicatorij Ordinis tertium habitum amplecteretur. Ab illo semel induto vix non dimovit Rosam modestissimi animi lemissio; nam gliscente ejus nominis celebritate, cæpit monstrari digitis, notari oculis, laudari à prætereuntibus; sique D. Catharinæ Senensi non rarò comparari. Et meritò; nam adeò sanctæ Magistræ suæ virtutes induit, ut se-
vel tacitè miranti Confessario visa fue-

rit specie, vultu, lineamentis sic transformata, ut viva similitudine ipsissimam S. Catharinæ Senensis effigiem referret. Demum, quæ tam carè illi steterat, vestem constanter retinuit; nam dum latendi studium illam seponendam suggerbat, ad aram Sanctissimi Rosarij flexi humi genibus inter orandum placidissimo animi deliquio sensim diriguit, visa ab adstantibus primò exalbescere pallore niveo, mox decora suffusione rubescere, demum toto vultu lucescere, ac scintillatim radiare: suoque colori reddita, erumpentibus ex animo prægestiente verbis, ostendit, se in hoc vitæ instituto divinitus confirmatam.

CAPVT IV.

ROSÆ mira animi submissio virginæ candor, benignitas, aliæque virtutes.

Fundamentum reliquarum virtutum, modestissimi animi submissio, tam
altas

as in hac Virgine radices egit, ut suum
nicè contemptum perpetuo studio
ævivisse visa fuerit. Parum illi fuisset,
domesticæ ancillæ officijs distineri, ni-
& infra illam se demisisset. Quam-
orem sæpè Marianam agrestem servam
ligebat, ut se dejectam humi pedibus
oculcaret. Exultabat injurijs proscif-
ob singularem vitæ rigorem, at suis
udibus vulnerata, spineam coronam,
ua tempora clam obsederat, violento
ugno capiti altius infigebat. A Regio
quæstore, qui supremis tribus Rosæ
nnis suam domum consecrari ambivit,
exis poplitibus aquæ libandæ veniam
mpetrabat. Morbos celare consueta,
e medicæ sibi manus, & delicata reme-
ia adhiberentur, aliquando tamen can-
idè fatebatur, quantis cruciatibus di-
abesceret, ut crederetur ob immania
rimina à vindice Numine flagellari.
Quin & mirari se, cur nondum terram
nfelicem, quæ suis piaculis onerabatur,
byssio demerferit ultor Deus, sanctè af-
firmabat. Et enormium quidem scele-

rum

rum ream illam credidisses, cum obruta
 lacrymis, & singultans procumbebat a
 Sacerdotum pedes. Sed illa nunquam
 lethali crimine amisit haustam à sacræ
 fonte divinorum munerum ubertatem
 & laborandum Confessarijs erat inve-
 stigantibus quid ad suum forum certe
 spectaret, nullum enim ab illius ore ver-
 bum excidit obstreperum, criticum, ni-
 hil in ejus moribus triste, nil austerum
 sed tota serena erat, & benigna, adeò ut
 negasses Rosam esse, quæ spinis carebat.
 Cumque integerrimo singulos amore
 complecteretur, à Dei hominumque cha-
 ritate animari videbatur. Nulla rerum
 humanarum cura ejus animum sollici-
 tavit; quin interrogata aliquando, num
 quâ re præter divinas delicias innocen-
 ter caperetur, negavit se ullatenus posse re-
 bus perituris exhilarari. At virgineum
 illius candorem nulla unquam veniali
 macula afflatum fuisse, nec in toto vitæ
 cursu ne semel quidem illi in animum
 cogitatione obrepisse, jurati asseruere.
Vndecim Religiosi viri, quotquot gene-
ralem

alem Virginis confessionem exceperunt. Postquam egregiam formam assiluis macerationibus, diuturna inedia, & qua gelida toti corpori creberrimè superfusa, corruptit, magno haberi cœpit in pretio, utque innocentissimum pœnitentiæ simulacrum ab omnibus indigitari. At illa blandientis famæ laudes correscens, vividum illicò in genas colorem, vigorem in oculos precibus reuocavit; adeò ut cum domum rediret ab meridiè sextæ feriæ sanctioris hebdomadæ, roseo vultu instar Auroræ subivida, & amœna, congerrones quidam iuvenes audacissimi in prætereuntem vocati sint, quasi reducem à convivio, & piparè habitam. Illa verò quadraginta lapsos dies pane tantum, & aqua duraverat: & horas tunc triginta, immota persistiterat in Templo sancti Dominici precibus insitens, cibiq; omnis experta, & potus. Majus illi studium fuit præcendi reliquas divinas dotes, ideoque Deum à teneris annis flagitaverat, ne in mortalium sineret innotescere, quæ
suum

suum intra animum operari dignaretur
cumque illius votis annuerit Sponsus
divinus, perpauca, & penè vulgaria cre-
ciderim, quæ ut maxima, & singularia
spirituales Virginis Patres ab illa expi-
cari potuerunt. Quid quòd superos ha-
buit ministros modestiæ suæ, & cum
aliquando templum ingressam conste-
nasset subita recordatio destituti in pa-
tenti cubiculo severioris ad doman-
dum corpusculum instrumenti, designa-
vit animo locum, in quo illud supprimi
à cœli Regina exoptabat, ut domestico
lateret, & regressa reperit famularem
suæ demissioni præstitam operam à su-
perum Imperatrice.

CAPVT V.

*ROSÆ mira abstinencia, prodigiosa Ie-
iunia: Eadem tenerum corpus cili-
ciis, flagris, catenis domat.*

Laboraret, opinor, historiæ fides,
prodigiosa Rosæ jejunia recensendo,

o, nisi Lector admoneretur, compen-
ium hoc, quo sanctissimæ Virginis vi-
delineatur, à remissoriali, ut dicunt,
processu fide bonæ extractū fuisse. Ro-
a profectò per D. Catharinæ Senensis
estigia mirabiliter ad summum inediae
ulmen evasit. Penè infans omni sibi
fructuum esu interdixit, qui suavissimi
in Peruvia nascuntur. Sexennis tres heb-
domadæ dies nil præter panem & aquam
degustare cœpit. Anno verò ætatis de-
cimo quinto se obstrinxit voto nun-
quam delibandi carnem, nisi adigeretur
eorum imperio, quibus non obtempe-
rare nefas fuisset; quod si aliquando
ulminabatur, maximo stomachi suppli-
cio pœnas dabat virtutis eximiae, & non
aro nauseantem ardentissima febris in-
vasit: quoties verò jam lecto defixam
delicatis edulijs ad salutem revocare
tentarunt, in manifestum vitæ discrimen
adduxere; cum è converso panis frustu-
um aquæ infusum præsentissimam illi
sanitatem sæpenumero redonaverit.
Quod prodigium nulli admirationem
incu-

incutiat, nam Christus ipsam Rosam ducuerat : velle se ab illa rigidis abstinentiæ exercitijs constanter honorari. mater nimiam in exanguis filię vultu inciem conspicata , hanc parsimonia grande vocabat in crimen : Jussa proinde Rosa communi mensæ accumber ancillam rogavit, ut ex panis frustulo, herbarum pugillo sibi pararet offam nullo sale conditam. Sed quas herbes sibi Virgo legebat, amarissimæ erant, agresti saporis malignitate torquebatur palatum, has illa è vicina sylva petitas alebat in horto studiosè, cujus sub sepibus vasculum abdiderat veruecino felle plenum, & hoc cibos aspergere, & cotidie summo mane solita erat imbuiere. Cranadillæ, quo in flore mirabili, perennant instrumenta cædis diuinæ, amarissimæ frondes dulcem illi, & quotidianum saporè elaborabant. Dubitari ergò meritò potest, duriusne illi à talibus cibis, an ab ipsa inedia tormentum esset. Duplici se torquebat jejuniorum genere, & quo semel tantum in die

a die tenuem panis, & aquæ refectio-
em delibabat, & quo per totum diem,
octemque penitus gustabat nihil. Pri-
um ferè quotidianum præsertim multi-
is vitæ annis religiosius ab illa servaba-
r septem continuos menses, à festo
xaltatæ sanctæ Crucis ad usque Domi-
icam Resurrectionem. At ineunte
uadragesima omnem sibi subtrahebat
anem, solis malorum aureorum semi-
ibus parcissimè victitans, ijsq; tantum
uingue, dum sexta feria recurreret.
Reliquo anni tempore, quod octo die-
us absolvebat vix unica die tolerandæ
itæ sat esse credebatur. Unico pane,
loque sat exiguo, & aquæ vasculo
quingenta dies aliquando transegit,
liaque vice idem spatium decurrit ne
guttula quidem aquæ recreata. Supre-
nis annis trans mittebat complures dies
ine omni prorsus alimento. Feria quin-
a se includens in domestico oratorio,
nec inde ad Sabbathum usque digressa
protrahebat triduum omninò insom-
nis, impransa, incænata, & uni angulo
affixa

affixa omninò impos ab illo, vel ad mentum surgere. Quid quod octo solidos dies nullum præter divinam Eucharistiam alimentum admisit. Vulgare aquæ ipsius haustu gustum fraudasse transactis hebdomadis quampluribus sine potu, & cæteroqui hausta non aqua gelida, sed plerumque calenti. Prodigiosum est plus virium à jejunijs accepisse, quàm à cibo, eò quod cum suæ Magistra Catharina vulnerati Christi lateris ambrosiam degustabat. Prodigium quoque simile est, superfuisse in arido corpore locum, qui flagella exciperet sanguinem, qui verbera sequeretur. An nisi per confessarios modus illi fuisset impositus, mortem nimium properasset ardor corporis castigandi. Postquam sanctæ Catharinæ habitum induit non contenta vulgaribus funiculis, duas sibi catenas ferreas aptavit in flagrum, quibus per noctes singulas ita se cruentabat, ut sanguinis rivi parietes, & pavementum aspergerent, præcipuè ut scelerati meliorem ad frugem revocarentur

quot

ot flagellorum fulcis, quot vibicum
oribus se in dies exarabat, ita vulnera
pensans per diversas corporis partes,
lum una coalesceret, altera feriretur,
umque faviret in primam vix dum
litam, ab hac alterna, crudaque vicif-
tine dirissime cruciata. Horrebant
nestici ex ædium parte secreta plaga-
n strepitum audientes latè sonorum,
q; Rosæ animum moderabatur tem-
ari nimium rigorem jussit; sed illa
inis ab eo precibus extorsit, ut lice-
sibi intra aliquos paucos dies quin-
e mille ictus infligere: feriis ab in-
tia præludijs ostenderat, quàm avi-
in hæc pœnitentiæ exercitamenta
retur, nam & quadriennis sub crudo-
n laterum, & gravis trunci pondere
pè laborabat, & Marianam ancillam
ecibus adigebat, ut se in horti Angu-
orantem gravissimis ponderibus on-
ret, sub quibus æstuabat, gemebat, &
er dum victa premebatur ad solum.
nondum quartum decimum annum
ressa sæpè nocte concubia perambu-
labat

labat hortum nudipes, oblongam crucem lividis humeris gestans, nec illi turbae auræ malignæ intemperies, non frigora, non ventorum turbines insuaves errant. Jussu flagellis, non ferrea catena se cedere, ipsam catenam lumbis triplicato circumductu validissimè astrinxit, & sera commissuræ angulis immissa, clavem eò projecit, unde redire non posset. Cum verò per extritam pellem in carnis, & nervorum profundum ferrum penetrasset, jamque consputum propemodum esset, nocte quadam acutissimus coxendicum dolor Rosam invasit, á quo, vires identidem accipiente, mox Virgo interempta fuisset; namque catenam vi nulla aperire poterat diù multumque frustra luctata; sed illa confugit ad preces, quæ cælum ipsius aperiant. Et ecce sera sponte dissilit, laxatur catena, diducitur; avulsione tantum opus fuit, quam, & cruor sequebatur. Ubi primùm vulnera coiverant, suo se iterum tormento Rosa incinxit, sed catenam carni rursus adnatam sibi trans-

mitti Confessarius imperavit, & il-
aliquot circuli post Rosæ obitum
servati, mirabilem spirarunt odorē,
mnibus peregrinum. Lacertis ar-
simavincula circumdedit, quæ per-
im torquebant musculos complica-
; pectus, axillas latera morfu cre-
rimo vexarunt minuti sentes, & ur-
arum manipuli. At cilicium nacta ex
tis equorum fetis densè contextum,
ra genua productum, crassitie ferè
plicabile, triumphavit sub illo rigo-
paludamento, quod infixis undique
vissimis acubus in se violentiùs ar-
vit. Hoc usa complures annos, & ob
quentem sanguinis vomitum alieno
dem imperio exuere coacta, saccum
lis crassissimis gravem, sibi in formam
lusij aptavit, quo sub pondere æstua-
t, rigebat, lassabatur extenuata viri-
s Virgo, & pœna illi erat quicumque
otus plumbea subucula prægravatæ.
antis in quibus tantum à vertice capi-
erat sanitas, quoties domi clibanus
cendebatur calcabat immota fornacis
orifi-

orificium, unde vehementior incend
vis erumpebat. Hisce delicijs demulce
bat corpus, cui sat poenarum affereb
crebra ægritudo, exoptans etiam tenta
re maiora, nisi vetuissent animæ mode
ratores. Quid quod neque delicias sp
ritus in corpus exundare sinebat, caver
ac totis viribus obstitans, ne divinis epu
lis animum saginantibus reficeretur
quod ego divortiū sublimibus Rosæ c
peribus adnumerandum reor. Hoc u
num solita erat reponere culpantibu
nimium in se rigorem, sinerent ipsam
quando nil boni operaretur, saltem
mala tolerare.

CAPVT VI.

*ROSA capiti aculeatam coronam inf
git: eiusdem lectulus, cervical,
nocturna vigilia.*

SPinea sepes Rosam decebat, qu
dies, & noctes hærens in plexili sen
ticeto, quod Christi verticem insedit
in e-

Virginis Persanae.

egressu pueritiæ ex ductili stanno si-
coronam implicuit, additis claviculis
introrsus præacutis, & hoc diademate
caput incinxit non sine vulnere. Plu-
res annos duravit sub hoc spineto, quod
non præludium solum fuit severioris
armenti, imminentis ex secunda coro-
næ aculeis nonaginta novem armata.
Hanc postremos decem annos ad finem
que vitæ prodigiosa constantia tole-
vit, neque enim sine spinea corona
Catharinæ Senensis habitum induis-
sibi videbatur. Argenteâ laminâ flexit
circulû, illiq; tres introrsus infixit a-
leorû ordines, ita firmiter suo quosq;
co inhærentes, ut Aurifaber adhibitis
arripibus evellerẽ nullum potuerit.
Hoc fertû quàm dirè memor-
at velatû puellæ caput, præsertim cum
non omnes, sed aliæ post alias suc-
cissione molestissima cutẽ invaderent,
pote ex varietate motuum in singulis
vulnerû angustijs obliquatę. Sermo ipse
virgini dolorificus erat: quid si tussî
percutiebatur pectus, si caput sternu-
B tamento

tamento exonerabatur? Sed hæc illi ludicra videbantur, ideoque ubi coronæ extrema coibant, vittas innexuit, quarum attractu dolorem intenderet, aculeos altiùs capiti infigens, neq; unquam eodem quo pridie steterat loco, figebat diadema suum, ut immitius pungeret inque intacto pœnam renovaret. Sexta verò feria se profundius fauciabat, ad os usque usque sinciput, & auricularum cartilagine coronam demittens. Diù Matrem, ac domesticos latuit efferum horum tormenti genus, & artes quibus illud in se Rosa atrociùs irritabat. Sed cum aliquando se blandè interposuisset Patri quærenti ad virgas puerulum filium, fortuito errore in illius caput patris manus incurrit, ac tres illicò sanguinis rivos explicuit, ex quo coniecit Mater qualis Erinaceus sub candido eius velamine nidularetur. Quoties tartareum hostis Virginem aggrediebatur, ter illi digito pullabat coronam suam, quæ validius fronti impressa certam ei victoriam asserebat. At post Rosæ interitum

à san-

sancto viro suaviata corona prodigio-
um in illo divini amoris incendium re-
pentè accendit, & odore suavissimo
undem perfudit. Ut autem spiniferum
sanctæ Catharinæ Senensis exemplar
Rosa nostra secuta est, ita cum flores
deessent, quibus de more virgineum de-
mortuæ caput ornaretur, Catharinæ si-
mulacrum suum illi diadema commoda-
vit, in argumentum immortalis trium-
phi, quo excipi ab eadem Virgine, & à
pulcherrimo comitatu deduci ad soliū
divinitatis, manu præferens palmam, &
Deipara corona decorari visa est à
nonnullis probatissimæ sanctitatis. Sed
cedamus ad pœnas, quibus Rosa tri-
umphos sibi adornavit. Eam strati sui
voluit esse duritiem, quæ somnum abi-
geret, non invitaret, imò idem lectu-
rus, & equuleus esset. Vix obrepserat
matri sopor, cum Virgo remota culci-
træ parte, cui incubuerat, in substratam
tabulam descendebat. At capiti rude
saxum supponere tamdiū perstitit, quo-
adusque ab irata Matre veniam extorsit

suo sibi arbitrio lectum contabulandum.
 Truncus hic fuit undique impositus,
 lapilli sub vili itragulo dispositi, ut ea in
 æqualitate læderent corpus, cui levest
 bulæ in delicijs fore timebantur. Postea
 verò tria ligna tortuosa, indolata, no
 dosa tabulis imposuit, ac tandem ligna
 omninò septem certis intervallis distin
 xit, ac tercentum præacutis regularum
 fragmentis intercapedines implevit
 quorum mucrones obverterentur cor
 pori, & in hoc prato quiescebat Rosa.
 Ponè a lectuli caput amphoram appen
 derat felle plenam, quo antequàm a
 somnum sese componeret, fauces re
 creabat in memoriam Sponsi felle po
 tati. Cervical primò fuit crassioris par
 ti volumen incommodum, crudus de
 inde later, mox lapis undique scaber. A
 à matre iussu pulvinar adhibere, non i
 lud lana, sed ingenti vi segmentorum
 infarsit. Lanam ingeri Mater præcepi
 obtemperavit Rosa; sed lanæ vim tan
 tam stipavit, ut ligneum cervical videretur,
 & sub parte, à qua facies decumberetur

s excipienda erat tortiles iuncos oc-
uluit. Quindecim ipsos annos fugiti-
um soporem super horribile stratum,
mod ultimo loco delineauimus, Rosa
rpsit, sensu doloris tam effero, ut ad
ius cogitatum, cæteroquî generosi-
na tremere, æstualet, certa non inde
absq; omnium membrorû gelido stu-
ore, ac veluti ex ossifragio surrecturam.
animentaliquando confirmavit Chri-
is visibili, blandaq; specie, duriolem
isse dicens Calvariæ lectulum, in quo
o illa cœperat mortis somnum. Tan-
m qui præerant Virginis animæ mi-
is illam ad soporem componi pro im-
rio adegerunt, abjectis saltem frag-
entis tegularum. Ultimis vitæ annis
erumque in humi! sella collecto cor-
sculo noctem transegit, ex nocturnis
goribus tremens, ac rigens. Et hoc
overcale corporis odium illam edo-
it, ut nec unquam vigil pulvino insi-
ret, sed vel stans perageret labores
os, vel palo pro sellula uteretur. Sed
ec morti vicinam destituit hic ardor

durissimè cubandi. Equuleum suum frustra quæsit : in nudo pavimento deponi non impetravit : at saltem lecticæ tabulis occipite , humerisque acclinis in duro ligno voluit qualitercumq; commori Sponso crucifixo. Nec defuerunt qui in morientis pallido vultu notarint ipsam Christi in cruce expirantis effigiem quod aliàs in Sancta Catharina Senensis animadversum fuit. Quantum verò vigilijs dabat, cui lectus ipse soporem addimebat ! Horas illa duas, neque semper integras somno indulgit, reliquum tempus ita distribuens, ut ex diurno, nocturnoque duodecim quotidie horas orationi seponeret , alias impenderet foemineis laboribus, quibus parentes aliebat, cumque inedia, cilicij, lectiq; carduetum, calidæ potus, profunda meditatio divinorum , vigilandi facilitatem ei comparassent ; versutus tamen hostis illam , vocare nitebatur ad somnum. At Rosa, vel cervicem illidebat parieti, vel sibi tundebat latera, vel prominentibus ex lignæ crucis brachijs fortibus clavis

clavis manus applicabat, & pendulum
corpusculum librabat in aere, vel ob-
longo, quem in cellulæ pariete clavum
fixerat, modicum capillitium, residuū
in fronte ob obtegendam spineam co-
ronam, implectebat arctissimè, & pen-
sula, vix summis aliquando pedum digi-
tis terræ insistens, clavis in soporē pug-
nabat, de quo non satis adhibitis in le-
cto tribulis triumphaverat.

CAPVT VII.

*ROSÆ domestica Solitudo, fuga pu-
blici, cellula perangusta.*

A Prima infantia solitarios angulos
domi quærebat, procul à ludis pue-
rilibus,, ut uni vacaret Deo. Crescente
verò cum annis studio latendi, in horto
sub umbrosis platanis, flexili ramorum,
palmitum, ac virgultorum circumductu
modicum inclusit spatiū, in quo ad hu-
mile altariolum totas herebat dies, adeo
ut domi abiverit in proverbium: hortū
videas si Rosam quæris. At grandior im-
petravit à Matre aliud intra ædes cubi-

culum, in quo seorsim ab omnibus pernoctaret. Molestissimum illi erat in publico apparere, & nunc prece, nunc lachrymis ambiebat matrem, ut optatissimam sibi solitudinem indulgeret. Aliquando ad obeunda urbanarum salutationum officia evocata, juxta domesticum furnum transiens, à clibani orificio faxum studiosè sibi attraxit in pedem, ut eo vulnere claudicans domi sineretur. Eo præcipuè nomine frequentiam oderat, quod suavis odor virtutum suarum commendaverat illam apud omnes velut illustris fœminam sanctitatis. Igitur aspirante Numine speculata est viam, qua se ab impedimentis viriliter explicaret. Coronam precariam ex corallijs, quam habebat in paupere thesauro, curavit Deiparæ Virginis collo circumdari, cui à Rosario nomen, & cultus est, ut hoc vinculo suaviter captivata Regina sua, Rosæ Matrem pertraheret, quò filiæ erat in votis. Post aliquot dies visa est corona à Virginis collo soluta pendere de manu parvuli Iesu, attonito ad hæc

hæc Sacrista, qui profitebatur, à nullo
mortalium in digitos filioli fuisse trans-
latam. At Rosa tacita interpretres divini
consilij exultabat intelligens, despon-
sam sibi à sua Diva, quam gratiam op-
tabat, & filium pro Matre fide juben-
tem, sponsionis vinculum in se translu-
lisse: ideoque voti secura flagitavit à
Matre cellulam perangustam, in qua sine
permisso illius, qui suæ animæ præerat,
nullius conspectum admitteret, aut al-
loquium: Intra paucos dies perfectum
stetit ærctissimum in horto tuguriolum,
quinque pedes porrectum in longum,
quatuor in latum; ut ut angustum, sibi
tamen, dicebat Rosa, sponsoque cœ-
lesti sufficiens. Huic Postquam sese in-
clusit, cuidam probatæ sanctitatis fœ-
minæ in raptu visa est sub specie lucidif-
simæ stellæ, cujus radios opaca parie-
tum angustia cohibere non poterat. Hic
perpetuos hærebat dies, per varia pieta-
tis exercitia dispēsans horas, ignara pro-
pemodum, in corpore ne degeret, an
extra corpus, Cumque à nonnullis in-

terrogaretur, cur non inde quotidie prodiret, ut Missæ sacrificio adesset, candidissimè respondit, domesticis euris distineri aliquādo Matrem, sine qua domo prodire non poterat : sibi tamen à divino Sponso consultum, ut in cella residens complures quotidie Missas videret audiretq;. Compertum deinde est, divinus Virgini datum fuisse, ut spiritu, non secus ac si corpore præsens adfuisset, interesset omnibus sacris, quotquot in vicinis templis offerebantur. Prodigiousum porro fuit obsequium à culicibus exhibitum solitariæ Rosæ: Innumera illorum agmina soli humiditas, & arborum frequentia, aut gignebat, aut pertrahebat in Virginis cellam, amicum suo generi umbraculum, præcipuè ubi sub meridiem radij solis ardentes, aut sub vesperum serenæ noctis algores tenuissimis corpusculis imminebant: nec tamen in tot culicū legionibus, quibus scatebant undique parietes, personabat ostium, fenestra implebatur, vel unicus fuit, qui Rosam unquā attingeret, cum
è con-

è contra Matrem, aliasque religiosas
fœminas ex permisso Rosam invidentes,
hostiliter invaderet exercitus molestif-
simus. Neque tantum hospitæ suæ par-
cebant, sed ad illius imperium in omnia
fese flectebant obsequia culices inge-
niosi. Ubi primùm Virgo referabat Cel-
lulæ portam: Eja, dicebat, amici, laudes
celebremus omnipotentis Dei; at illi.
concentu lenissimo sparsi in gyros, ar-
guta miscebant murimura, phalange tam
ordinata, ac in se flexibus aptissimis re-
deunte, ut chorum credidisses, cui ratio
dux præsideret. Cumque noctu repe-
rent hospitalem domum, rursus oran-
tem Rosam gestiebat æmulari volatilis
harmonia, & cum illa deinde sub lege
nocturni silentij conticescere. Accidit
aliquando, ut Catharina de Sancta Ma-
ria Tertij Ordinis S. Dominici, in E-
remo domestica Rosam inviseret: hæc
à culicibus fauciata, unum, quem san-
guine turgidum vidit, occidit. At Rosa
miranti similis, cur hospites, inquit,
meos trucidas, nec tantillum animal tuo

pascis sanguine, dum ejus conditor suo
 nos toties recreavit? sed in posterum te-
 cum illi, ut mecum pacem colent. Huic
 auguris fides stetit, namque illi, alijsq;
 pepercit in posterum culicū exercitus,
 adactus admirando Rosæ imperio. Fran-
 ciscam verò de Montoia Tertiariam iti-
 dem Sancti Dominici alumnam à tribus
 tamen culicibus appeti in Sanctissimæ
 Trinitatis honorem blandè permisit.
 Ultimo vitæ suæ triennio in Gundisalvi
 dela Massa Quæstoris regij domo pa-
 rem fermè solitudinem sibi Virgo sta-
 tuit, jussu à parētibus obtemperare viro
 religiosissimo, qui suas ædes Rosæ hos-
 pitio ambiverat consecrari: hic totas
 cum diebus noctes in domestico late-
 bat. Oratorio, vel in ultimo ædium cu-
 biculo, identidem regressa ad hortem-
 sem Ereum; perpetuo studio sequuta
 solitudinem, cujus amore tantopere
 tenebatur Magistra sua Catha-
 rina Senensis.

* *
 *

CA-

CAPVT VIII.

*ROSÆ cum Christo mira desponsatio,
Pronuba Augustissima Imperatrice
Angelorum.*

Didicerat quidem Rosa Seraphicam
Magistram suam Christo despon-
sam, sed vix audebat exoptare locum in-
ter sponsæ comites adolescentulas. In-
terea tamen candorem Angelicum, &
profundissimam dehiscentis animi sub-
missionem adornabat, dotem scilicet,
Sponsi divini amores rapientem. Pro-
digijs ad mysteriū præparata, & ad con-
sensum erecta fuit modestissima Virgo,
nam primò bicolor ille Papilio, de quo
verba superius fecimus, aliquamdiu per
sinistrum Virginis latus cum oberrasset,
constitit è regione cordis, ibiq; depictā
reliquit imaginem cordis in veste Rosæ
pulcherrime delineatam, perinde ac si;
Præbe mihi cor tuum, Sponsus divinus
clamaret, & Rosam insigniret eodem
emblemate permutati cum illa cordis,
ut olim cum Catharina. Nocte quadam
spe-

speciosus forma præ filiis hominum videndum se Rosæ præbuit, & candidissimum illius amorem se quærere professus, innumeras Virgines splendido amictu nobiles ostendit, quæ cadendis maribus destinebantur, ad illarum consortium Rosam invitans, inter sponas suas, arduis virtutis operibus insudantes, adnumerandam. At Rosa veste gemmis, auroque distincta se repentinè inclauisse vidit, & ad cœlestem sortem clatam. Sed festinat historia ad manifestum munus, quo Christus vigilem Rosam ad connubialem thalamum invitavit. Dies aderat consecrata triumpho divini Regis Hierosolymam ingressi, cumque palmæ distribuerentur in Templo, sola Rosa præterita fuit à Sacrifica properante, siue id casu contigerit, siue Numinis consilio singulari, ut virgo novitate confusa timeret, ne obliquo forsitan animi motui inscia succubisset. Ad Deiparæ sacellum confugit, & genibus innixa perundantes lacrymas faucium cor suum effudit. Cum ecce Virginem videt sibi sereno,

sereno, mitiq; vultu adblandientē, mox
in Filium conversam, & inde veluti fau-
to oraculo excepto in se rursus inten-
tam. Rosa ignoto perculsa gaudio Pue-
rum intuetur, qui pariter illi suavissimē
arridebat, & postquā aliquamdiu miro-
sensu voluptatis suam Sponsam perfu-
dit, in hæc apertē verba prorupit: Rosa
cordis mei, tu mihi Sponsa esto. At illa
mirum in modum exultans, ac in sui ni-
vili abyssum dehiscens, ancillā se dixit,
paratam sui Regis ad nutus. Et Virgo
Mater: vide, inquit, ô Rosa, eximium
favorem, quo te filius meus dignatus est.
Exinde quibus gratiæ thesauris suam
Sponsam ditavit Amor divinus! Illa qui-
dem sapienti viro, qui ejus spiritus ex-
plorandi partes susceperat, pressius in-
terrogata, dixit, verba sibi deesse, quibus
munera liberalissimi Numinis in se im-
meritam collata explicaret. Ut autem
perpetuò sibi versaretur ante oculos
antæ gratiæ monumentum, annulum
poposcit à germano fratre suo, qui my-
sterij omninò inscius, perindè tamen ac
si

si nuptijs interfuisset, eadē verba: Rosæ
 cordis mei, tu mihi sponsa esto: anul-
 i convexo iussit inscribi. Hoc Rosæ sui a-
 moris pignus in arca, in qua servatur di-
 vinum corpus, feria quinta sanctioris
 hebdomadæ à Sacrista claudi impetra-
 vit. At Paschatis die sponte, ac secre-
 tō rediit ad Rosam, non sine novo pro-
 digio: namque propē illam innixa Ma-
 ter, & ad omnia intentissima, nihil ani-
 madvertit. Post Virginis obitum vir
 sanctitatis fama conspicuus manu tenēs
 anulū Rosæ, in mortalium omnium
 rerum exilium raptus, & miro volupta-
 tis divinæ sensu colliquefcens, Rosam
 vidit in exceso gloriæ fastigio inter præ-
 cipuos Cœli cives prope solium divi-
 nitatis, ac diū loco moveri, & protende-
 dere rigentem manū non potuit. Quod
 si hæc in aliena manu prodigia peperit:
 nuptialis anulū Rosæ, quid ipsas
 nuptias in anima Sponsæ
 præstitisse putes?

(:†:)

CA

CAPVT IX.

*ROSA perpetuo Orationis studio miram-
affequitur cum Deo unionem.*

ADhuc infantem divinus spiritus o-
rare docuerat, eoq; igne succende-
rat, quem nec ipsa nocturna somnia cō-
opirent. Audita ergo per noctem sepi-
simè est numeratò reddere preces, qui-
bus per diem invigilaverat. Crescente
verò cum ætate Religione, duodecimo
anno jam Unitiva, quam dicunt, Ora-
tionis via Deo adhærebat. Porro du-
plex illi erat alloquendi Numinis ratio,
tum enim soluto curis omnibus animo
quietissimè se colligebat ad loquendum
Deo: tum inter manuum labores, &
extima opificia mentem nihilominus af-
figebat divinitati. Priori, ut supra in-
nuimus, duodecim quovis naturali die
horas seposuerat; posterior illi perpe-
tuus erat, nisi quando per horam horri-
bilibus, ut mox dicemus, imaginibus
torquebatur; adeò ut sive dormiret Ro-
sa, sive vigilaret, dum neret, texeret, se-
ricos.

ricos acupingeret flores, alios alloqueretur, comederet, legeret, in horto, in platea, ubiq; locorum ac gentium, perpetuò obversaretur animæ oculis suis amor Deus. Quodque omnem admirationem supergreditur, divina hæc præsentia ita Rosæ internas potentias occupabat, ut illam ab extimis sensibus non adeò detorqueret. Quocirca respondebat appositè ad omnia, prosequabatur institutum opus, ac domi satagens circa frequens ministerium in remoto cordis thalamo cum Sponso deliciabatur: At inter orandum omninò torpebant illius sensus ad objecta, quæ ad se minimè pertinerent. Hinc in Templo defixis in aram oculis, nec prætereuntes videbat, imò nec si aliquid in pupillas incurreret, attrahebat nictu supercilia; sed veluti rupes, imobilis, quo loco, situque ad orandum se composuerat, eodem post horas, post diem integrâ, post solidum cum die binotium invariata perstabat. Ultimis verò vitæ annis à manè feriæ quintæ ad Sabbatum usq; nonnun-

inquam & ad Dominicam diem in do-
nestico Oratorio perseverabat, omni-
nò impos de pavimento surgere. Tres
præcipuè in singulos dies horas divina
beneficia recolebat: assueverat etiam al-
tissimo generi orandi, quo Dei attribu-
ta centum quinquaginta mente pervo-
lens, singulis proprium latriæ cultū ex-
hibebat & hanc precationis formā ter-
rori esse Dæmonibus asserebat, cui dum
insisteret tota ipsa movebatur systole
cordis, atq; diastole. Familiares sermo-
nes, quibus alios alloquebatur, plerum-
que sagittæ erant, quibus ferebatur in
Deum: veluti hortum commendatura:
Venuustus est, dicebat, ac pulcher: Deus
illi flores adaugeat. Illam omnia invita-
bant ad Deum, & aliquando ægram, &
viles cibos, quibus se reficeret, adornan-
tē, canens avicula in extasim abri-
puit, mortalium omnium oblitam, ad
vesperā usq; ab hora ante meridiem ter-
tia divino amore vehementius æstuan-
tem. Quid quod plantas ipsas, mutosq;
stipites ad laudem, & adorationem
Deo.

Deo exhibendam Rosæ mirabiliter inclinabat ! Rem affero inauditam. Summo manè cum ad cellam suam reditura pandebat horti januam, eminùs conspectas arbores, virgulta, herbas, invitabat, ut secum benedicerent authori suo. Et ecce moveri subito ramos, collidi frondibus frondes, plaudere foliorum susurros, flores ipsos, ac frutices animari in musici murmuris harmoniam : altissimas arbores verrere solum profundæ adorationis ritu solemni. Neque hoc Rosæ prodigium peregrinum, ac rarum, sed frequentia diuturna conspicuum. Et cæli volucres allexit in alternam adorandi Numinis societatem. Anno qui Rosæ ultimus fuit per quadraginta solemnis jejunijs dies sole occiduo advolabat prope illius cubiculum avis mirè vocalis ; quam Virgo cantu provocabat ad laudes, divinas emodulandas. Illicò avicula inchoabat argutam harmoniam, & sensim vocalior assurgens, tum Virgini cedebat vicem, quæ voce tinnula, suavissimaq; & ingenio prodigiose fecundò

do hymnos institutos prosequabatur, perq; integrum labentis horæ spatium alternabant cantum ea lege, ut concinente Rosa, volucris attentissima nec pipiret: vixq; dato signo sextæ post meridiem horæ perfunctâ officio, avolabat, postridiè reditura. Alios porrò ad studiū orationis accendere omni conatu satēgit, præcipuè domesticos: & pios libros, quotquot de hoc argumento verba faciunt, & legebat ipsa avidissimè, & legendos alijs mira eloquentia persuadebat. Religiosos verò viros, qui sacras confessiones excipiebant, ac Dei Verbi Præcones obtestabatur enixè, ut ad orationem mentalem omni suadela, & arte mortales inducerent, ut usum piarum meditationum populariter inveharent, ut ad frequentandas Dei laudes, præcipuè Rosarium magnæ Virginis percurrendum, omnes inflammarent: & mirum, quantum hoc exemplum, & ardens hortatio Rosæ, divinum cultum amplificarit.

* * *

* *

CA-

CAPVT X.

Desolatoriis visionibus exercetur, ac horrendas alterius vite pœnas degustat. Doctorum examen subit, & ab illis mirum in modum probatur.

CUm ad altissimum gradum perpetuæ unionis cum Deo Rosa ascendisset, atrociora tenebrarum intervalla pati cœpit in dies, quæ solidis plerumque horis eò miseram deprimebant, ut sæpè nesciverit, in tartaro ne esset, an in diro carcere ignis purgantis: adeò nulla suavissimi Numinis recordatio, nullum solatij vestigium aderat menti. Accedebat pœnarum in cumulum memoria nebulosa præteriti amoris quo Deo adhæserat aliquando, at nunc eundem nec nosse, nec diligere se posse arbitrabatur, imò veluti peregrinum, alienum, extraneum, vixque de fama notum eminens, & raptum suspiciebat: videbatur muro adamantino obstructum effugiū, ut nusquā pateret hujus labyrinthi exitus; quare vix erat, quo ab æterna pœna
damni

lumni suam inſcelicitatē Virgo ſecerneret. Trifte ſolatiū venabatur à ſpe proximi interitus, at tunc animæ immortalitas importunè occurrebat, quæ illam æterno terrore miſerè lancinabat. Per iſtos quindecim continuos annos quotidie ſemel in hanc deſolationis caliginem demergebatur integra ut minimū mora: iterum tabeſcebat in malis, & Roſa tota jam ſpineâ ſemetipſam ſauciabat. Demum ea fuit horribilium figurarum acerbitas, ut Virgo tametsi ad quidvis ferendum impauida, unicum hunc amariſſimum calicem à ſe transferri enixè petierit, nam durius illi erat ab amore Domini deſinere, quàm interire; cum enim quod corpori eſt anima, hoc ſit amanti animæ Deus, deerat illi quotidie, abeunte Deo, vita nobilior. Vix tandē reperti Theologi, qui de hoc prodigioſo mentis angore quippiā certi præſumerēt deſinire. Fuere quid eliria, aut inſomnia, qui lemurū ſpectra, vel demonū præſtigias, qui fumātis atræ bilis paroxyſmos interpretarētur. At illa omnia

modestissimè devorabat, incusans inopiam ingenioli sui, quòd implexos animi motus explicare non posset. Nitebatur subinde similitudinibus adfibrare dolores suos; at si ignis nostri cruciatui conferrentur; ridendam esse comparationem dicebat. Se longè à Deo sitam in Regione dissimilitudinis, obrutam pusillanimitate spiritus, & tempestate, de qua loquitur David, Anathema sibi videri à Christo, veluti Paulus optabat: eum demum ab horridis illis imaginibus sibi dolorem inferri, qui millies vitam, animamque sibi rapuisset, nisi prodigiosè à Deo conservata fuisset. Creditur sancta Catharina Senensis aliquando idem perpeffa. De Beato certè Henrico Susone id compertum tradit historia. Sæpè illi erat ante oculos Christus Judex vultu asper, & horrendo tonitru intonans illud: Ite maledicti. At compulsa aliquādo fateri num post tenebrosam ecclipsim Sponsus illustraret animum suum, ingenuè fassa est, illicò totam simul animam collucescere, & inflam-

ammari, & in sinum divinitatis iterum
volare; totam se transformari in Dile-
ctum suum, immobiliter in Deo ra-
dicatam sibi videri, & illius gratia soli-
datam, adeò ut cerò sciret, quod nihil
inquam se à Christi charitate separet.
Quamvis autem arcanum gratiæ lumen
certitudinem illi indidisset, rectam se-
nitam esse per quamibat, tamen mo-
lestissima Virgo non præsumpsit recu-
rare serium, per quæ intervalla repetitum
examen vocationis, ac spiritus sui. Præ-
ter illos, qui Sacris illi erant à confes-
sionibus, intimas ejus animæ latebras
pervestigârunt alij, sapientia & religio-
ne singulares, tum è sacra sancti Domi-
nici familia, tum è Societate Iesu, tum
Doctor Ioannes de Castillo sanctitate
nobilis Vir sæcularis. Ibi post diutur-
nam, & sæpius iteratam quæstionē, hæc
præcipè compererunt. A prima pueri-
tia, Rosam cœlestes stimulos, & tran-
quillum orandi spiritum concepisse, a-
deò ut nihil illi dulcius esset, quam loqui
cum Deo, ac Divinis inhiare. Ad duo-

decimum usque annum ætatis se vari
inter orandum tenore, subinde cum im
becillitate corpusculi, cum somno &
mentis evagationibus luctatam fuisse
plerumq; tamen animo libero, & quie
to perrexisse in Deum, & ab illo tempo
re expertam ita se divinæ pulchritudin
affigi, ut neque si spontè conaretur, ali
mentem detorquere posset, neq; phan
tasmatum intercurfu, nec occupation
bus sensuum externorum divelli à com
plexu dulcissimi Numinis: radiare in a
nimæ suæ penetralibus præsentiam pro
pitæ divinitatis, & hac deprehensa nu
lla se posse alia re oblectari. Interrog
ta, num quos de mystica Theoria legi
set libros, negavit inops Virgo, imò
nomen quidem, si quod proprium esset
huius intuitivæ orationis sibi innotui
se. Quæsitum ab illa est quanto sudo
pugnaverit in pravas animi inclinatio
nes; at illa, vix se meminisse talium ce
taminum, respondit, & ab infantia pro
pensione quadam innata complexa
esse virtutem. Si quis autem indeliber

us motus nixus fuisset assurgere, repen-
e ex apprehensione divinæ præsentia
itra conflictum evanuisse. Num quid
olatij caperet ex rebus creatis, quando
animum contemplandi labore fessum
nonnihil remitteret, interrogata, nega-
it, se posse rebus perituris exhilarari ;
et ad momentum conspectum perde-
et amantis Dei, id sibi videri atrocius
quavis gehenna : horrendas porrò ima-
gines, pavoresq; quibus illam diximus
agitata, statuerunt quæsitores fuisse
experimenta pœnarum, quibus in pur-
gatorij carcere torquentur animæ. Quā-
do verò nulla spes evadendi illi affulge-
bat, quodam æternitatis fumo, & hor-
oris inferni caligine obtenebratam fu-
isse ; ne virguncula tam prodigiosis dita-
ta muneribus aliquando superbiret, ut-
que illius amor hoc igne purgatus vehe-
mentiùs inclaresceret. At adacta pro-
imperio aperire, qualiter sibi post illas
inferni tenebras esset, suffusa rubore,
quem metus ac pudor accenderat, dixit
humili & intercisa voce : Plerumq; post
C 2 illas

illas tenebras ostendi sibi humanitatem
Christi, nunc virili, nunc infantili facie,
sæpius & Virginem Matrem, & hanc di-
utius obtatui suo inculgeri : hinc ro-
bustum gaudium super omne gaudium,
hinc experimentum cognationis divina
hinc vitam, & alacritatem omnium af-
fectuum oriri. Denique post omnia sa-
gacissimè explorata ; hæc omnium quæ-
sitorum sententia fuit : Tutissimam esse
viam, qua Virgo ambulabat, nullam hi-
subesse vaserrimi Dæmonis imposturam.
Aliqui Theologi præstantissimi auditis
quæ de Augustissimo Trinitatis myste-
rio, de hypostatica Verbi Divini unio-
ne, de libro vitæ, ac prædestinationis
de natura Gratix, alijsque fidei secretis
arcana promebat Rosæ, neque par acu-
men illius scæminæ ingenio, neque ul-
lam mentem liberalius à Patre lumi-
num illustratam se cognovisse profes-
sunt, & manifestè patuisse altiores sp-
ritum, qui in Virgine loquebatur. Præ-
cipuè verò cœpit omnes admiratio
quòd ab infantia ad gradum unitivum
ascen-

ecenderit absque eo, quod purgativum
attigisset; quodque in horrendo il-
lud tenebrarum tormento quasi certa-
rit cum Deo, tristiusne ille affligeret,
an illa vellet affligi; adeoque non solum
tremendo fuerit, sed & quotidie trium-
phaverit. Sanè apud omnes quotquot
imæ tunc aderant, & aderant multi
consummatæ virtutis fama celebres, in-
fluerat constantissima opinio, Rosam
virtute Dei agere, & agi, & sapientia
celitus infusa gubernari. Quædam San-
ctitatis nomine celebris scemina sicubi
eam ea concurrisset, flexis humi geni-
bus repugnantem excipiebat, & eodem
corporis habitu ad eam litteras dabat,
ubi Rosa vestigium fixerat, gestiebat
& oculos applicat.

CAPVT XI.

*ROS A cum Christo, Despara, & v. Ci-
tharina Senen familiariter, iucundè,
affiliè delictis, domestica tularis
& Angeli consue din fructu, præ la-
catur cum Dæmone tenet ex victor.*

Non solum post internas an-
bes

bes divini solis manifestus vultus Rosam exhilarabat, sed aliàs quàm sapissimè videndum se præbebat amantissimæ Virgini : dum sacros Rosa libros percurreret, parvus Amor vix digiti statura procerior obambulabat paginas passu levissimo, & interim sereno, suaviq; obtutu Sponsæ suæ blandiebatur : dum telas consueret, laborantis puluillo quietissimè infidebat, arridebat eridēti, breves protendebat ulnas, velut offerens amplexum; omniq; gestu, ac motu protestabatur amorem suum : has verò delicias frequentes Rosæ obtigisse, imò ferè quotidie, argumento est, quòd si ille tardabat, Sponsa querulis vocibus lamentabatur, utq; amor Poësim docet, suas querelas familiari metro illigabat. Ex gutturi dolore aliquando laborantem Sponsus invitavit ad ludum, & victrix Rosa suos mitigari dolores poposcit, & impetravit. Divinus verò collusor jacturam non ferens ludum instauravit, & cum illi prosperè alca cessisset, & victoriæ præmium quæsit, auge-

garitatem tantamque elax, idque pri-
os illius dolores geminavit. Hoc dum
andè, modestèque narrat Matri, ne il-
ob suam ægrimoniam contabescat,
sa est aliquamdiu vultu Angelico ra-
are. Aliàs cum in hortensi cella nocte
oncubia viribus destituta fomento in-
geret, sui lateris ambrosiam deliban-
am cordi Virginis Christus obtulit, u-
quondam Catharinæ Senensi, cujus
roinde Virginis non alumna solum
uit, sed etiam Collactanea. In illustris
emine domo post sancta colloquia de-
more secessit ad orandum, & septennis
uella juxta Rosam vidit Puerum Iesum
multicolori amictu indutum, & radijs
oruscantem. At in alijs ædibus Isabel-
e Mexiæ visus est divinus infans con-
ertis cum illa manibus in porticu ob-
ambulans miscere secreta colloquia,
ærere in Sponsæ vultu, tanquam rerum
mnium oblitus, & quacumque fixisset
pedem, improvise lumine fulgebat pa-
imentum. Quid quod mutui amoris
deo sollicitus erat Sponsus divinus, ut

ne florem quidem in consortium venire pateretur. Invenit aliquando Rosa eradicatos flores, quos in horto studioſius alebat, & ob id dolenti Christus occurrit, ac dixit: An non ego flos campi melior quovis Paradisi floreto? Flos es, ac flores amas! Mihi tuos amores indulge. Ego illos eradicavi, ac projecit. An non hæc fidem faciunt viſioni ſceminæ cujuſdam religioſiſſimæ, cui proteſtatus eſt Chriſtus, à ſe Roſam geſtari in penetralibus cordis, ſeq; viſiſſim in ejus virgineo pectore tranquillè habitare. At Cœli Regina quàm frequenti alloquio, aſpectuque Roſam dignaretur, vel ex hoc intelligi poteſt, ut paucis multa complectar, quod cubiculariæ officia illi exhiberet, manè Virginem à ſomno excitando. Illam à multo tempore deſtituerat neceſſarius ſomnus, cui conciliando moderatores animæ præcepere veſperinum lactucæ, ac ſoporiferorum ſeminum uſum; ſed cum vix hæc inducerent quietem dum inſtabat hora iurgendi, cruciabatur

Roſa

Rosa, quòd ad præscriptam horam evigilare non posset. Ergo Deiparam stellam matutinam vocavit in vota, quæ cum immineret hora surgendi, aderat conspicua, & voce nectarea dormientem compellabat his vocibus: Surge ad orationem, filia, surge nam instat hora. Cùm aliquando Rosa in lectulo confedisset, sed prægravante somni pondere in cervical esset relapsa, redivit Augustissima excitatrix, niveaque manu pulsavit dormientis latus, Surge, dicens, filiola, ne pigeriteris. At illa vice Rosa abeuntem vidit à tergo Deiparam suspensis vestigijs, cujus aliàs materno vultu solita erat impleri, illam cominus intuita, uti fassa est, deque facie ad faciem. Ex quo semel à Christo data illi fuit Magistra Catharina Senensis macula harum Virginum colloquia, tam amica, ac crebra fuerunt, ut veluti in Moyse vultum post divinum consortium sic ex vultu Catharinæ in Rosæ faciem terminata transiverint, quæ hanc illi per oris lineamenta propemodum assimilarint.

Hinc apud omnes Rosa altera Catharina Senensis dicebatur, præcipuè ab obitu, cum illius facies in feretro videntur omnibus patuit. Cum tutelari Angelo domestica illi necessitudo intercessit, illum legabat ad Sponsum, si fortè hic hora consuetudine non adfuisset. Nocte quadam in Eremitio sua sensit vires ex improviso languere; ideo rediit ad Matrem, quæ instantis deliquij signa notans in filia vultu, iussit ancillæ, acire subito vicinum propolam, & emere libum Indicum, quod Chocolatam vocant. At Rosa rogavit Matrem, ut sumptui parceret, affirmans, sibi potionem illam non defuturam. Subirata Mater, Ancillam urgebat ad opus. Sed Virgo, mox, inquit, aderit è Quæstoris domo, qui calentem deferet Indorum ambrosiam. Et quis hoc noctis. Quæstorem admonuit de imminente deliquio tuo & addebat Mater. Cum ecce Quæstoris servus vas affert argenteum calenti Chocolata plenum. Attonita parens obedientia vinculo filiam adegit, ediceret, unde com-

compererit, affore sibi remedium. At illa subridens, sæpè me, inquit, hujusmodi dignatur officijs Angelus Tutelaris, illum misi, qui admoneret Quæstoris uxorem de medela qua indigebam. Solebat Mater ante mediam noctis horam aperire ostium horti, ut inde filia se domum reciperet. At quondam oblita cum esset, Rosa per fenestram Cellulæ suæ vidit umbram candidam motu decoro agilem, aspectuque non injucundam, quæ virginem, ut se domum versus sequeretur, invitabat. Agnovit illa sub umbra latentem Angelum suæ custodiæ destinatum, cumque illo se dedit in viam, ut ad horti januam pervenire, hæc ad umbræ tactum spontè patuit. Sed & aliorum Tutelares Angelos sibi ad nutum habuit obsequentes. Exemplo sit vir quidam è religiosa familia, qui peregrè profecturus Rosæ preces flagitavit pro itineris periculis divertendis; At cum diu iter tutissimum habuisset, in Truxilli conuallibus gravia quæque perpessus est, ac deinde Limam re-

C 6

gressus

gressus cum Rosa conqueri cœpit, quòd
se destituisset: Virgo id accidisse dixit,
quia non ille tunc fuerat Peregrinus,
qui esse solebat, & hominem admonuit
de arcanis ei solummodò notis quæ non
nisi Angelo internuncio Rosæ petuerat
inotuisse. At quantum illam Sanctissimi
Angeli amabant, tantum eundem oderant fu-
riæ tartaræ, quæ aliquando palam cum
generosa puella certârunt. Ingentis mo-
lossi forma semel in horti cella per tene-
bras aggressus est Rosam malignus Te-
nebrio; pertentavit irrito morso virgi-
neum corpusculum, quamque discerpe-
re non poterat, diù raptavit per solum,
quousque Rosa his vocibus: Ne tra-
das bestiis animas confitentes tibi, ho-
stem egit in fugam. Fuit, cum ex insidijs
adrepens Cacodæmon improvisum ei
colaphum incussit. Cum saxum in eam
libravit eo connifu, ut euntem ad hu-
mum affixerit: Cum in secreta ædium
parte orans Rosa, vidit in prægrandi
Sporti teterrimam belluam licentiùs
tumultuari, ac dedignata qualicumque
sola-

solatio lucis uti candelam extinxit, & hostem in arenam provocavit. At ille Gigantea mole profiliens per humeros corripuit Virginem, strinxit, contorsit, quasi laceraturus obluctantem: & omnia quidem puellæ ossa commolita videbantur, nervique distracti, at infractus animus risit furentem Cyclopi infaniam. Animadversum est, frequentes hos Virgini fuisse agones, nec unquam formidinis ab illa sensum expressisse, quando feroci vultu animorum prædo irruebat. Sed aliquando cum in horto specie formosissima ac penè mutatus in Angelum lucis illi astitisset, & procum ageret, à nobili fuga victoriam quæsit illicò Rosa, & in propinquo porticu ferrea catena correpta nudos sibi humeros flagris acerbissimis cruentavit, interque sanguinis, & lachrymarum rivos de Sponso conqueri cœpit, quòd se tunc destituisset. At ille manifesta luce conspicuus Rosæ vultum exhilaravit, ac dixit. Ni tecum ego fuissem, tu ne victoriam reportasses? Germana

mana planè sunt hæc ijs, quæ Sanctæ Catharinæ Senensi in certamine simili contigerunt, cui Virgini collata munera Sponsus in Rosam quoque congeffit : velut etiam mirabile donum internoscendi sinceræ visiones ab illusionibus Sathanæ, quo floruit à pueritia, at tunc temporis eruditè recensuit regulas distinguendorum spirituum ab effectibus, quos in anima variunt : Has olim Christus Catharinam docuit, hæc Rosam, quæ suam ad eam Magistram expressit, ut si ad Indos accidisset fama erroris Pythagoræi de transmigratione spirituum, quamplurimi credidissent, Catharinæ animum in Rosæ corpus ingressum.

CAPVT XII.

ROSÆ persecutionibus, morbis, ærumnis pressa prodigiosa tolerantia.

ROSIS connascuntur spinæ. Nonnum ætatis mensem attigerat, cum lactanti matri aruerunt ubera, reque angusta domi prohibente conductam nutricem.

tricem, liquidiori pulvere supplebatur
lactis inopia, diducto parvula ore non
sine cruciatu, sed sine lacrymis, quini-
mò Rosa sui pollicis inutili suctu taci-
ta fraudabat famem. Vix pedibus in-
gredi cœpit, cum ob muliebrem Avia-
Matrisque de Isabellæ, Rosæque no-
mine controversiam, utriusque perse-
cutionibus se vidit implicitam, excep-
ta virgis ab avia, si ad Rosæ nomen, à
Matre, si ad Isabellæ, respondisset. Ut
suavis erat indoles filiolæ, sic aspera
conditio Matris quæ Rosam ob exi-
miam modestiam, perpetuas preces, ac
seculi fugam, non convitijs solum, ala-
pis, pugnis, & calcibus, sed & nodoso
baculo ex malo cydonio delumbabat,
præsertim post grande crimen præcisi
capillitij. Nec mitiores in eam dome-
stici ob continuum commercium divi-
norum, & ferè nullum alimentum, quo
patebat, humanis viribus eam vivere
non posse, vocabant Rosam, in suspi-
cionem fictæ sanctitatis, eique mina-
bantur, brevi rapiendam ad sacrorum

Quæ-

Quæditorum tribunal. Exultabat interim Rosa videns per ipsas Catharina vias ire se ad Sponsi unionem, & ab illustri fœmina interrogata, cur à Seraphica Magistra sua non quæreret ab his ærumnis effugium, (namque apud omnes in comperto erat, Rosam, quæcumque vellet, à Catharina impetraturam:) pluris se facere dixit, suæ Matris dolorosa stigmata, quam delicata solatia, eò quòd puderet Crucifixi sponsam, vel per momentum cruce viduari. Et hæc quidem prægrandis nunquam, aut rarò illi deerat; namque vacantem ab externa, cessantiq̃ue foris persecutioni agminatim corporis ægri- tudines succedebant Ex dira nervorum attractione triennium lecto decubuit cruciatu immenso, gemitu nullo. Mirum quot ex diversis, oppositisq̃ue causis in Virginem morbi irruerent, terni, simul, & quaterni, nullo supposito in exsucco, aridoq̃ue corpusculo ardoris pabulo. At non ab intemperie humorum, sed à benevola Sponsi manu, ut
ipfa

ipsa probè sentiebat, hisce agonalibus bonis provenientiibus. Sanè confessa est aliquando, putare se, nullum alicujus partis, aut membri superesse cruciatum, quem ipsa non senferit. At ne primus quidem impatientiæ motus unquā obrepfit, qui affixam divino beneplacito, vel latum unguem detorqueret. Cum angina, cum asthma, cum ishiade, cum pleuritide certandum illi sæpissimè fuit. Stomachi, pericardij, intestinorum dolores frequentes convulsiones invehébant: febres, easque contumaces assuetudo verterat in jocum, non item articulares manuum, pedumq; fidiculas, podagram, chiragram, arthritidem domesticam præcipuè familiam epulorum, quæ impransam, & incanatam Rosam frequentissimè inferunt. Illa inter extremos dolorum laniatus, benè sibi esse perpetuò dicebat, & Sponsum tantummodò alloquebatur his vocibus: Domine, auge, auge dolorem dummodo augeas & amorem. Quàm verò suæ Rosæ precibus obse-

obsequeretur Sponsus divinus, ostendit mirabili, celeberrimâq; visione, qua supra geminos arcus lucis imminens, Christum librantem aurea lance hominum tolerantiam, suaque munera illis collata in præmium, aspexit, eundemque suum regem audivit elata voce commendantem pœnas constanter ab hominibus devoratas; & asserentem non alia, quàm crucis scala ad cœlum eniti homines posse. Tunc validissimus impetus Rosam invasit profiliendi in forum, & ærumnarum pretium celebrandi, divinæque gratiæ, cujus mirabilem pulchritudinem, & vim, qua constituit animas deiformes, apertè viderat. Hoc præparavit Rosam ad ultimos paralytis dolores, qui præmaturam ei mortem intulerunt.

(:†:)

CA-

CAPVT XIII.

ROSÆ ardentissimus erga Sponsum amor. variis indiciis manifestus: Imper-
tratum ab illa miraculum sudantis i-
maginis, ut Christum omnibus aman-
dam persuadeat.

QVanta in hujus Virginis corde fla-
graret Æthna divini amoris, palam
aliquando fecerunt splendores, & flam-
mæ ab orantis vultu scintillantes. Visa
non rarò est evibrare per os, oculosq;
lucidissimum ignem, præcipuè dum
funderet preces. Ejusdem ardoris in-
dices erant ignita suspiria, quibus per-
petuò divinum cordis æstum ventila-
bat. Ardentes perpetuò precatiunculas
jaculabatur in cælum, quas operæ pre-
tium esset hic apponere, namque plu-
rimis usu fuere non sine maximo divi-
ni amoris incremento. Omnia Rosæ
colloquia, salutationes, responsa, amo-
ris divini mentione condiebantur. U-
nicum illi solatium erat, de amore divi-
no aut audire, aut loqui, omne aliud
argu-

argumentum, comi dexteritate huc inflectere. Tunc Virgini aliàs taciturnæ præstò erat facundia mirabilis: fulgurabant oculi, & ex cordis abundantia loqui linguam manifestum erat. At cum in privato Oratorio solvebatur in preces, gratissimum erat audire invitantes singulos ordines creatarum rerum ad amorem diyini Conditoris. Duabus ac tribus horis eidem insistebat, & clam audiebatur à multis, qui viderunt arripientem non rarò pendulam e pariete citharam, tactuque chordarum temperantem impetum vocis, & excepta sunt hæc verba ab illa numeris illigata.

*En inter Flores pulchrescis, & inter
Olivas*

Iesule, nec molli spernis adesse Rosa.
namque Matre Oliva, & Patre de Floribus nata erat. Vehementissimi amoris comes, ac testis zelus virginem adurebat, ideoque otiosos in templo fabulantes admonebat officij: Non erant domi, qui coram illa quiddam ineptum proferrent, veriti fulmina Virginis divinas

vinas injurias non tolerantis. A prima pueritia si fortè audivisset sorores amatorium quid concincentes, uberrimo fletu testabatur dolorem cordis exalcerari. Lacrymas, quia unicè ad ætarium Dei pertinere didicerat, namque illis committitur cœlum, nolebat aliò à quocumque profundo, ideoque cum fortè vidisset Matrem plorantem: Quid inquit, prodigis gazam Numinis thesauro referendam? Quotiescumque verò suum Deum ab alijs coli animadverteret, triumphabat immenso gaudio, & aliquando cum redivisset ad cor fœmina è sacro Cœnobio profuga, Rosa miris lætitijs incessit, festumque diem egit, perinde ac si totius Americæ sceptrum ad illam devolutum fuisset: Deusque, ut Rosæ gaudiū intenderet, ostendit ei Sanctitatem insignem, quam adeptura olim erat pœnitens Sanctimonialis. Habituras aliquando erat solemnem concionem Confessarius Rosæ, quem repentè febris invasit. Rescivit id Virgo, & precibus contra se invitavit Concionatoris febrim, futuramque;

turiq; eventus certa virum adinonuit ,
præstò illi fore vires , se verò coquen-
dam feбри non sua. Quod re ipsa conti-
git Rosa, ut olim Sanctæ Catharinæ Se-
nensi. Propagandæ gloriæ divinæ studio
innumera excogitabat indies, quæ ho-
minum pietatem accenderent : velut in-
ter cætera novam artem conficiendi
vestes infanti Deo, offerens pro indu-
sio, fascia, stragulo, fimbrijs, crepun-
dijs, preces, jejunia, verbera innu-
mera. Quod nobile inventum quam-
plurimi amplexi sunt. Hanc autem sui a-
moris amplificandi sollicitudinem in-
genti miraculo probavit Deus. Anno
hujus sæculi decimo septimo, decima
quinta Aprilis die, cadente Sole, Rosa
cum uxore, & filiabus Gundisalvi Quæ-
storis effusa in preces ante pulcherri-
mam Servatoris imaginem, vehemen-
tius amoris stimulis concuti cœpit, jam-
que nec voci temperare posse, sed erecta
in pedes fervidissimè affari suum Deum
eumq; obtestari, ut ignita pharetra ex-
cussa mortales omnes sui amoris telis

vita-

vitalibus vulneraret : Cum ecce puella
Quæstoris filia videt Servatoris vultum
sudore madidum, in argumentum amo-
ris, quo flagrabat amantissimus Deus,
quemque in Rosæ gratiam indicijs illis
profitebatur, ut pares in hominū corpo-
ribus flammæ accenderet. Mox puellæ
mater, tum genitor, deinde Religiosi
viri, tandem Angelinus Medorus, qui
sacram effigiem coloraverat, alijsq; plu-
rimi viderunt copiosas sudoris guttu-
las ad instar minutissimorum unionum
tota sacratissimæ imaginis facie conspi-
cuas lucere, ac prominere. Subnasci a-
lijs alias, mutuoq; attritu solvi in fluxū,
ac diversis lineis per capillos, & collum
decurrere, quoq; detergebantur magis,
eò magis erumpere, rivosque rivis suc-
cedere : & hoc ostensum supra quatuor
horas produci, nullo colorum, aut ve-
nustatis detrimento : imò adaucta inte-
rim pulchritudine vultus divini. Chry-
stallini humoris claritas, odor nullus,
& alia quàm plurima examina, palam fe-
cere, non inesse humori pinguedinem
ali-

aliquam ex coloribus oleo temperatis, sed omnes naturæ, atq; artis industria à tali prodigio longè abesse. Prosceniū illud amoris divini recipros hominum amores invitantis Rosæ vota implevit; namque omnes, qui spectaculo interfuere, novis, acutis, insolitis divini amoris stimulis sub illius intuitu vulnerati sunt. Neque hic stetit miraculum, sed alterius partu suam certitudinē asseruit; namque Rosa ipsa lapsu fortuito ad terram allisa graviter offenderat, adeò ut Chirurghi metuerint, aut mancam Virginem ea parte fore, aut curationis remedium æturnum, incertumque. Rosa certa recuperandæ salutis, si gossipium divino sudore madidum brachio admoveretur, tamen cupida fruendi diutiùs doloribus suis, id non est ausa, nisi ex Confessarij præscripto. Tunc verò tractu prævalido sentit redire ad suam sedem distortos nervos, detumescere pulpos, distringi musculos: attonitis ad hæc Chirurgis, qui de intractabili brachio, & in omnem mede-

lam

iam contumaci, jam propè desperaverant. Præter illa, quæ innuimus, Rosæ prodigia, imperium in belluas, arbores. quæ & in spiritus ipsos, intuitum cor-
lium, & absentium rerum, manifesta
illoquia præsentis Dei: prodibit brevi
liorum uberrima appendix, statim atq;
cuerit ex lege sacrorum Rituum.

CAPVT XIV.

*ROSÆ cum imagine Deiparæ familiare
consortium; in divina Crucis signum
Religio; Mutui honores, quibus illa &
S. Catharina Senensis se prosequuntur*

ANte centum, & ampliùs annos ima-
go Deiparæ Virginis, cui à Rosario
omen est, limæ cultum accepit: Ex il-
lo Roseto ver nascentis fidei in eas ter-
as sese latè diffudit. Ad hujus aram Ro-
perpetuò procumbebat in preces, mi-
latitia gestiens, & suam Divā loquen-
em varia serenæ frontis eradiatione, ve-
ti quibusdam nutibus, tam perspicuè
percipiebat, ut nulla verborum facun-
a meliùs præstare id posset. In filioli

quoq; divini vultu velut animato libro
responsa distinctè legebat, veluti si picta
cerneret, vel mutis characteribus exara-
ta. Hunc deperibat: Hujus ad intuitum
novo calore perfundebatur, & gaudio,
videbatur enim cœlestis Infans brachia
foras protendere veluti in amplexum
Rosæ procururus. Fama erat illam
omnia impetrare quæcumque ante sa-
cræ imaginem à Cœli Regina flagita-
ret, ac tanta securitate rerum eventus
pollicebatur, quasi concessæ gratiæ di-
ploma percepisset. Colebatur in do-
mestico Oratorio altera Dei parentis
imago, in qua Rosæ videbat omnia spi-
rare, ac vivere, & aliquando cum pia
matrona ante illam narraret prodigia,
quibus Virgo in Atocha clientes suos à
vitæ discriminibus eripuerat, Rosæ pro-
spexit imaginem edentem signa inusita-
tæ lætitiæ, torquentem oculos benignis-
simo nutu, augustius radiantem. Por-
rò facellum Rosarij quovis die Sabbathi
floribus exornare consueta, quos in
horto deducabat, nunquam hoc solatio
desti-

destituta fuit, quamvis perfrigida rigeret, aut ardens esset anni tempestas. Sed pulchrius induebat spiritali veste Reginam suam: tunicam, syrma, coronam, & alia ornamenta, jejunijs, inflictis sibi verberibus & precibus innumeris componens. Præaltam crucem in hortensi sua cella extantē pijs complexibus perpetuò stringebat: ubicumque divinum hoc signum incurrisset in illius oculos, pulsus validissimo sua præcordia agitabat, sive in fortuita trabium commissura, sive in decussatis sepium bacillis, in vectibus, in ipsis demum festucis, ac paleis occurisset, illam sine attenta veneratione nunquam præteribat. Libanotim, vulgò Rorem marinum, alebat in horto, cujus tres arbusculæ in crucis formam coibant: unam ex his Prore-
gina dono quæsit, sed apud illam cespes illicò exaruit, & idcirco Rosæ manibus iterum insitus, post quatuor dies pulchrior solito reviruit. Circumferre Sanctæ Catharinæ Senensis imaginem quot annis solebat pium Sodalitium il-

lius cultui consecratum. Cujus Divæ
statuæ, coronis, floribus, & multo ful-
gore gemmarū adornandæ, Rosa quoad
vixit destinata fuit, quo in munere tem-
perare sibi à lachrymis, ab osculis, ab al-
loquijs præ ardore non poterat. Oh' si
præsto mihi esset pecuniæ vis non exi-
gua, dixit aliquando, ut pulchriori ami-
ctu te induerem optima Mater : & ecce
illicò adfuit , quæ ab illustri fœmina
nummos attulit, Rosæ votis designatos.
Visus non rarò fuit sacræ imaginis vul-
tus insolito splendore radiare. Florue-
runt ad imperium Rosæ caryophylli ,
quorum pridie ne nodi quidem appa-
ruerant in florem erepturi : Ac tres
vernarunt, quot sibi Rosa jusserat affer-
ri. Francisca de Montoia, quæ sacrum
Catharinæ simulachrum exornaverat ,
Rosæ beneficio incolumis evasit ab igne
sulphurato, quī in oculum ipsius incur-
rerat, & resiliens incendit vestes alterius
fœminæ , quam corripuit. Ipsiusmet
Rosæ dexteram aliquando horrenda ar-
thritis invaserat, adeò ut intumuerit ma-
nus

nus mirum in modum, nec digiti loco moveri possent. Ut verò Seraphicæ Matri suæ festivum habitum solito cultu componeret, digitos forficum anfulis immisit, cum id fieri præ tumore non posset, & alacritate mira, gemmas, torques, monilia in ordinem distribuit; attonitis ad hæc regio Quæstore, illius coniuge, & medicis, qui divinitus id contigisse professi sunt.

CAPVT XV.

ROSÆ fervidus amor, & culinus in divinam Eucharistiam, pro qua ad Martyrium se accin

TER ut minimum in hebdomada divina Eucharistia reficiebatur, quinies non rarò, & aliquando in singulos dies: præmittebat semper magno genitalium, & lachrymarum apparatu sacramentalem confessionem: pridie asperius cruentabat corpusculum flagellis, rigidoque jejunio, & hospiti divino in pretiosis ignitarum aspirationum toribus cordis habitaculum adorna-

bat , ut si per totum vitæ spatium illa tantum vice exceptura esset amantem Deum. At dum procumbebat ad Angelorum mensam adeò divini amoris igne flagrabat, ut facie præferret cordis incendium; hæc enim coruscabat adeò, ut Sacerdotibus terrorem incuteret: Cœlesti splendore sæpissimè perfusa , Angelica non raro forma, radios etiam emittens apparuit religiosis viris : & ipsa Virgo à Confessarijs iussa indicare mirabiles effectus, quos in animo suo divinum hoc Sacramentum pariebat, in singulis verbis hæsitabat, causata vocabulorum inopiam; tamen , immigrare se quodammodo , dicebat, in suum Deum, & gaudio tam immenso recreari, ut profectò nulla jucunditas mortalis vitæ comparari posset illi, qua mammilla Regum, pretiosum hoc conviviū suum secum quodammodo divinitatem partiebatur. Accedebat robur, & saturitas prodigiosa, adeò ut, cum sæpè dum templum adiret ex pridianis jejunijs, flagris, ac vigilijs fessa in angiportis hæ-
rere

tere cogeretur, divino refecta pabulo
domum rediret alacri passu; præiret
Matrem veluti si ambulandum sibi esset
ad montem Oreb in fortitudine cibi il-
lius. Ut verò corporis saturitatem à pa-
ctu Eucharistico acceperit, patuit do-
mesticis; namq; reversa domum ab epu-
lo divino, recta festinabat ad secretum
cubiculi, & ibi ad feram usque noctem
inclusa perstabat in sponsi complexibus.
& rogata cibum sumere pridiano ex-
hausta jejunio, respondebat: præingen-
ti satietate à mensa Domini, alium se ci-
bum admittere neutiquam posse, & ali-
quando per octo solidos dies altaris Sa-
cramento pasta ab omni prorsus corpo-
ali alimonia, veluti Sancta Catharina
Genensis, abstinuit. Tanta verò religio-
se venerabatur hoc Sacramentum, tam
ardenter amabat, ut quotiescumq; illo
recreanda erat, Missæque sacrificijs in-
teresset omnibus à summo manè ad
meridiem usque; ne vel ad momentum
quidem oculos ab ara deflectens, aut su-
percilia unico nictu demittens, licet

noti,

noti, ignoti que ante illam transirent, & ferè in oculos incurrerent. Cum publica quadraginta horarum supplicatione adorabatur Sacramentum à populo, à mane ad vesperam usque immota prorsus hærebat innixa genibus Rosa, oblita prandij, nec aquæ una gutta refecta: sic per octo solemnes dies SS. Christi Corpori consecratos, sic ultimis quatuor annis, ubi feria quinta majoris hebdomadæ deduxerat ad monumentum Regem suum donec die parasceves ad tabernaculum transferretur, nec noctu inde cedebat, affixa tumulo, toto viginti quatuor horarum decursu, nec sedere coram illo ausa, nec muro tantisper acclinari. Sic ubi audisset ad divinum Corpus adorandum signa dari, cor, & caro illius exultabant in Deum vivum, & vividior in facie color accendebatur. Iucundissimum illi erat suis manibus aptare lintea, pallas, & quidquid textile ad sacrâ Altaris supellectilem spectat: pretiosos è filis sericis flores effingere, & in hæc opera conficienda, ne diurni laboris penso

penso egestatē Mæris fraudaret, nō sit
partem seponere. Denique pro San-
ctissimæ Eucharistiæ mysterio vitam ef-
fundere prægestijt. Cum Batavorum
classis Peruvix littora popularetur, & i-
psi jam Limensi portui immineret, imò
etiam in arenam profilijsse milites dice-
rentur, Rosa, cæteris exanimatis mirum
in modum exultans, in templo socias
hortari cœpit, ad subeundum pro reli-
gione martyrium, & facie rutilante, ve-
stem, quā longior in terram defluebat,
alacriter præcidit, cothurnos exuit, ut
in brevi hac veste magis expedita incur-
reret in hostes. Ex oculorum scintillis,
ex impavidi vultus constantia, ex vivido
tono vocis heroicæ animosa virago le-
nem induisse videbatur laceffens horā
atalem, & morti minitans pugnacissi-
mè: Fervebat Virgini sanguis effundi a-
ridus: cum auditum est, receptui Bata-
vos cecinisse; & voto suo fraudata Ro-
sa torqueri cœpit ardentiori siti marty-
rij, cujus amore saucia, dolebat, se non
his temporibus natam, quibus gliscebatur
D s tyran-

norum furor in Christianos, & sæpe cum gemitu dicebat familiari Matronæ: Utinam idonea ratio, & modus occurreret, adornandi fugam ad barbarorum Provincias, & ibi sanguinem pro Christo fundendi.

CAPVT XVI.

ROSÆ eximius pro periclitantium animarum salute zelus, & studium consulendi corporali saluti proximorum supra modulum facultatum.

QUoties ad interiora meridionalis Americæ montana flectebat oculos, cruciebatur medullitus, illachrymans perditioni tot Barbarorum: & cæteræ gentes Christianis legibus non excultæ perpetua illi erant materia lachrymarum: Optabat visceratim discerpi, retis instar obpandi voragini, qua tot animæ infelices ruebant ad Tartara: hortabatur Religiosos viros ardentissimis verbis, ut ad nunciandum Barbaris Evangelium festinarent: non hærendum, intonabat, in subtilitatum apicibus, in

con-

controversijs verborum: projici scho-
lasticos labores, clamorosasque disputa-
tiones, si tantis parta sudoribus eruditio
proximorum saluti fideique propaga-
tioni non impendantur. Asseverabat, se
nisi fœminam natura finxisset, decurso
studio literarum adituram fuisse ferocis-
simas gentes, quas vel in viam salutis re-
duceret, vel ab illis coronam acciperet
mortis obitæ pro fide sanctissima: sta-
tuerat adoptare sibi pupillum inopem,
& desolatum, quem in studio virtutis, &
literarum educaret ad laborem in con-
versione gentilium subeundum. Uni ex
Confessarijs suis incerto, an expeditio-
nem ad Barbaros susciperet, obtulit di-
midium operum suorum, quibus Divi-
nitatis amorẽ demerebatur, ut alacrior
ille ad excolendâ vineam Domini festi-
naret. Quæ verò illi cura fuit, & zelus
periclitantium Christianorum? pro his
quotidiè cruenta sibi verbera infligebat,
dicens, si quo modo sibi licuisset fungi
prædicatoris officio, opertam horrido
cilicio, nudipedem, squalidâ, interdium
noctu-

noctuq; se circumlaturam Crucifixi
Servatoris imaginem per fora, per tri-
via, & lugubri clamore revocaturam ad
cor homines à recta via decerrantes; at
divini verbi concionatores fervida mo-
destia admonerat officij, ut facundia ina-
ni, & inutilibus floribus, ac theatricæ o-
stentationis cothurno posthabito, ani-
madverterent, constitutos sese homi-
num piscatores, qui flagitiosas animas
eximerent ab ima charybdi vitiorum.
Et exemit ipsa Rosa nonnullas prodi-
giosè. Juvenem præcipuè genere, quàm
moribus nobiliorem, qui amore pul-
cherrimæ Rosæ succensus ac desperata
spe nuptiarum, quærebat saltem occa-
sionem, qua oculos pasceret illius venu-
state, ideoq; Rosæ Matrem convenerat,
ut juberet à filia collaria sibi aliqua ex
pretioso carbaso elaborari. Advocata
Rosâ, ut statueret, quot ulnæ melioris
telæ, & undenam essent emendæ, divini-
tus edocta secretū, quod corde preme-
bat Vincentius Montefius Venegas (hoc
juveni nomen erat,) illum sanctissimis
verbis

verbis ad virtutem incendit, adeò ut sobriam, & gravem vivendi rationem instituerit, singulis ad minimum octiduis divino Epulo refici consuetus. Fœminam præcipitis iracundiæ ad tractabile pacis ingenium, instituta de tranquillitate animi suavissima concione revocavit, adeò ut fateretur recordatione mansuetissimæ Rosæ sopiri, quascumq; flammæ naturæ ignis accenderet. Religiosum virum cum morte luctantem, & formidine severi Judicis trementem confirmavit, oblato illi de suorum exercitiorum qualicumq; censu quidquid moribundo deesset ad supplendam inopiâ meritorum. Ab obitu conveniri se petens à defuncti anima, si fortè indigeret ulteriori suffragio. Et divinitus Rosæ innotuit, illam quamprimùm regioni lucis adscriptam fuisse. Mirabitur profectò unusquisq; pauperrimæ Rosæ funus publicis mendicorum ejulatibus, ac lachrymis celebratum fuisse, vociferante turba egenorum, suam sibi nutricem ac matrem fato imminaturo præreptâ: adeò

palmas suas extendit ad pauperes, cum his dividendo eleëmofynas, quas insperatò receperat. Fuit cum octo dierum alimoniam sibi subtraxit, pro egentis cujusdam subsidio: cum triginta sex ulnas candidæ telæ sibi à Matre attributas ad sudaria, vela, mantilia, omnemq; candidi nitoris supellectilem formandam pro arbitrio suo, secretò donavit duabus Virginibus, genere, & virtute nobilibus, at pauperibus: fuit, cum oblongum, & ad terram usque demissum Matris pallium inopi cuidam Virgini donū fecit, & Matri conquestæ prædixit, pluribus illam à divina bonitate ditandam. Stetit promissis fides; namq; post paucos dies ignotus homo quadraginta libras argenteas pro pallio coëmendo attulit Matri. Maria de Sala per famulum misit sericum subtegmen alteri conficiendo sufficiens, & sibi oblatas ad hoc ejusdem materiæ totidem ulnas Limanus Prædicatorum conventus Rosæ matri destinavit. Nobilem Virginem egestate, ac morbo pressam, purulenti
cancro

cancris peste nulli ferendam; intra paternas ædes recepit & medicas illi manus admovit sedulitate tanta; ut brevi ad salutem revocaverit. Cujusq; sortis, aut conditionis pauperes fœminas morbis affectas in domum patriam inferebat, neq; tecti solum, & strati, sed & medicinæ, ciborumq; solatio egentes reficiebat. Ijs abstergebat purulenta ulcera, mundabat vestes, lavabat pedes, nullo discrimine Hispanos inter, & Indos, Æthiopesque, nigros, & candidos. Nulla ægritudo tam putrida, nullum ulcus tam tetrum, cui Virgineas adhibere manus Rosa defugeret. Hac ambitione obibat mulierum valetudinaria, & præ cæteris horridas intuita, his eluebat vasa, parabat edulia, lectulum componebat, nil dedignata, si vitiata fanies pannis suis adhæreret, quamvis cæteroqui munditiam amaret. Quinimò aliquando cum extractum è vena cujusdam famulæ sanguinem, post biduum seroso virore, flavis, nigrisque maculis, ac sanie ramosa decolorem stomachus horreret, secessit
in

in angulum, & ad instar Seraphicæ suæ
Magistræ, totum illum, virulentum cru-
orem ausu heroico sensim epotavit. Et
Rosæ charitas morte fortior non raro
fuit, namq; salutem redonavit ægris,
quibus ministrabat. Inter alios Joannes
Almanfa nobilis vir decumbens impe-
trato Rosæ alloquio, in illius vultu ma-
jestatem Angelicam notavit: & hausta
viva spe incolumitatis, solutus in som-
num est, & integrè sanus evigilavit. Plu-
ra curationum miracula in aliud tem-
pus differimus: interim addere libet,
quòd vel ad bruta animantia Rosæ sua-
vitas, ac tenera miseratio protendeba-
tur. Erat Mariæ de Oliva Rosæ Geni-
trici, miræ pulchritudinis pullus gallina-
ceus, cujus in tergo, & alis versico-
loribus amœna plumarum varietas lu-
debat, & collum quædam veluti purpu-
ra incinxerat, adeò ut domi in delicijs
esset. Sed cum jugiter cubaret humi, nec
unquam visus esset in pedes attolli,
numquam auditus cucurire, pertæsa
Mater constituit illum jugulare, & men-
sa

sæ comedendum apponere. Adstans Rosa, Canta, inquit, mi pulle, ne moriaris. Vix verbum protulerat, cum sub oculis omnium repente Gallus adsur-
rexit in pedes totum conclave præ-
turi passibus perambulavit, & hilariter
cucurrivit, repetita quindecies intra
quadrantis horarij spatium cantilena.

CAPVT XVII.

*ROSÆ magna in Deo fiducia, crebro in
suis suorumq; necessitatibus ex-
plorata.*

Mirificè afficiebatur verbis illis Da-
vidicis : Deus in adiutorium meū
intende : Domine ad adjuvandum me
festina : hæc sedens, stans, ambulans de-
votissimè iterabat. Tria potissimum e-
rant de quorum assecutione dubitare
Rosam non sinebat cælitus concessa fi-
ducia certitudo : primum æterna sua
beatitudo, alterum perpetua, & nunquā
interpolanda Dei amicitia, postremum,
certum ex alto auxilium in quibusvis
necessitatibus, ac repentinis periculis.
Semel

Semel concussa est pavida formidine
circa prædestinationis arcanum omni
animæ tremendum, sed illicò Dominus
sic illius cor est allocutus : filia neminẽ
condemno, nisi volentem condemnari :
igitur ex hinc tranquillo animo esto :
Exinde tam invicta fiducia cordi Virgi-
nis inhæsit, ut interrogatã à Doctore
Castillo, an suæ salutis certam notitiam
divinitus accepisset, fateri compulsã sit :
superna illustratione tempestivè se di-
dicisse, quòd ab æterno electa erat ad
coelestem gloriam; quin etiam in ulti-
mo decubitu cognovit ab omni purgan-
tis ignis mora immunem sese futuram.
Dum hortensem cellam incolebat, in
mentis excessu vidit circa se undiq; so-
lum conspersum rosis, & miranti quo-
nam pacto tam repentino verè tegre-
tur terra, parvulus Jesus apparuit, &
Rosam blandè compellans, jussit spar-
sas rosas colligere : Lectas illa divino
puerulo attulit, qui ex omnibus unicam
in donum poposcit, &, Hæc tu Rosa es,
dixit, cujus providam curam assumo :
Intel-

Intellexit illicò sapiens Virgo, quorsum
tenderent verba sponsi, & gavisâ, tene-
ri se in dextera veluti Rosâm electâm,
sollicita quid agendum de reliquis esset,
breui consilio subitaneum inde sertum
confecit, & cœlesti Infanti reverenter
imposuit, qui mox suavissimè arridens
disparuit. Pari certitudinis solatio fruc-
batur in securitate gratiæ, divinæque a-
micitiæ, cum cœlitus comperisset, in
Sponsi favore se confirmatam, ut ne vel
ad momentum dulci amicitiae fœdere
posset excidere. Asseveravit aliquando
animæ suæ moderatori, facilius impo-
nendum sibi, quod palea esset, aut saxū,
quàmquòd haberet numen aversum.
Eadem vis confidentiæ Rosâm adver-
sus quasilibet mortalis vitæ difficultates
armarat. Nil metuens obvios tauros fe-
rocissimos perstitit sæpius in vestigio,
matre fugam circumspiciente, spondens
immanes belluas innoxie transituras;
quod re ipsa bis contigit, non sine ad-
miratione omnium, qui præsens Virgi-
nis exitium metuebant. Ut verò spera-
bat.

bat subsidia ad victum necessaria! Cerior aliquando facta domesticæ penuriæ, quia panes nulli supererant, arcam aperuit & plenam reperit panibus ultra domus illius morem candidis, azymis, ac saporosis, testante figura inusitata, & peregrina, hos aliunde prodijisse. Alia vice mel defuit, necessarium illis regionibus condimentum: bis, ter, experti, fundo tenus exhaustum arefcere vas, filij retulerunt Matri; at illa Rosam legavit, quæ cupam invenit usque ad supremum labrum recenti melle plenam; quod novo prodigio integris octo mensibus toti familiæ satis fuit in usum quotidianum. Gasparem Flores patrem Virginis premebat ægritudo corporis, animiq; mœror ob quinquaginta librarum debitum, cui solvendo non erat. Ut Virgo rescivit, fudit in Templo preces, & domum redeunti vir planè ignotus involutam strophiole pecuniâ Patri necessariâ porrexit. Ejusmodi peregrinis subsidijs pluries egenâ domus in gratiâ sanctæ filiæ recreata fuit. Quinimò erga
locu=

locupletissimum Sponsum ea fuit Rosæ fiducia, ut ausu liberali Virgo pauperima frequenter, & palam in se receperit, providere de toto sumptu ad excitandum à fundamentis novum Sanctæ Catharinæ Senensis monasterium, cuius erectio cœlitus promissa & ostensa illi fuerat, quodque tam seria fiducia spondit, ut Mater fastidio impar, Rosam quasi manifestè delirantem objurgaverit: Et ubi tibi sunt, diceret, bis centies mille libræ argenti! At illa fidejussorem, inquit, habeo illum, in quo thesauri omnes. Sed hæc seorsim narra-
bimus

CAPVT XVIII.

ROSA divinitus cognoscit, edificandum in Vrbe Limana sanctæ Cathrinæ Senensis Cœnobium. Eidem alia complura arcana Deo revelante patefiunt.

¶ Loret nunc Limæ numerosum ducentis sacris Virginibus Cœnobium sub instituto sancti Dominici, erectum anno sæculi hujus vigesimo secundo ab illu-

illustri, & opulenta vidua D. Lucia Guerra de la Daga. Istud integro ante foundationem decennio nunc per symbola & figuras, nunc manifestè in propria forma, & typo, fuit Rosæ divinitus præmonstratum: De illo tam securè, ac fidenter loquebatur, perinde ac si constructum ante oculos haberet: Designavit personas, quæ illic Deo famulaturæ essent, ac inter has propriam Matrem: numerum diffinivit, locum prædixit, futuræ ibidem fabricæ plantam, ac systema in tabella delineavit, primū incruenti sacrificij Mystam nominatim expressit, primam futurarum Monialiū Præfectam ex vultu agnovit, spiritu suo imbuit, osculo pacis quodammodò initiavit. Nonnullis visa est insanire, cum præcipuè illustris foemina, quam Cœnobij fundatricem fore vaticinata fuerat Rosa, superstitem virum haberet, & Matrem circumstaret soboles numerosa, quatuor nempè filij, & una filiola, & qui in se receperat curam exorandæ à Rege facultatis, Madrito Lima rediisset.

set infecta re, & nulla spei lux in posterū
affulgeret. Sed Lucie maritum, & paulō
post filios omnes ab hac vita Deus evo-
cavit, obstacula innumera, & potentissi-
ma disiecit, repugnantium animos ad
favorem pij operis flexit, ac brevi stetit
nobilissimus Parthenon, qui etiam nunc
sæpissimè Rosæ Monasterium, hoc est
diu ante Rosæ vaticinio prænunciatum
amat appellari. Hoc primum fatidico a-
nimo percepit, cum aliquando lectas in
horto Rosas cœpit non sine devotis sus-
pirijs in altum jactare, & germano fra-
tri supervenienti, & quærenti, quid re-
rum ageret, mysterium celavit; sed cæ-
pere loqui prodigia; nam quas Rosa in
sublime sparserat, hærebant in aere, &
in conspicuam sanctæ Crucis figuram
aptissimè coibant, eidemq; Cruci à suc-
cedentibus Rosis decorus per circuitū
inibus formabatur. Agnovit Rosa Vir-
gines illas esse, quæ in cruciformē arctio-
is vitæ Regulam coaptatæ è sublimi per-
fectionis statu terram despecturæ erant:
Aliàs oranti fuit ostensum pulcherrimū
pratum,

pratum, lilijs rosisq; variegatum; quod
in hortum conclusum, & à profani sæ-
culi commercio segregandum certò
cognovit. Testatus asseruit R. P. Villa-
lobos Soc. Jesu vir sanctitate nobilis suo
se experimento propheticum spiritum
in Rosa deprehendisse, quæ sui cordis
arcana didicerat, velut etiam R. P. Phi-
lippi de Tapia Callaoensis Rectoris &
Michaëlæ de la Massa, Mariæ de Mesta,
aliorumque: ita etiam res loco, vel tem-
pore dissitas, intuebatur animo: diutur-
nam vitam sponndit ægris quàmpluri-
mis ferme jam in hora decretoria cum
morte luctantibus: pueris, puellisq; præ-
dixit, quod nā vitæ genus ingressuræ es-
sent: sponndit, nonnullos religiosæ
militiæ nomen daturus, licet ab eo vitæ
instituto alienissimi essent. Proregis a-
nimum immutandum vidit, qui molesto
muneri nobilem virum destinaverat:
Ferdinando Germano fratri scripsit, o-
rituram ex illo filiulam cujus vultum
purpureus conspicuæ Rosæ character
ornaturus esset, & illam innocentia sin-
gulari

gulari nobilem fore. Advectâ ex Æthio-
pia foeminam, quæ profitebatur, in Pa-
namâ sacro se fonte lustratam, cogno-
vit, neutiquam fuisse Aqua salutari re-
persam, & insperatis indicijs convictâ
ad meliorem frugem revocavit; sacro
illa baptismo tincta est, ac postridie fe-
lix interijt. Qui Rosæ cordium arcana,
& quæ ventura trahebantur, ostendit
Deus, eandem legendi, scribendiq; ar-
tem edocuit, ut olim Sanctam Cathari-
nam. Tandem eodem Magistro suæ
mortis diem, locum, horam edocta, ne-
mini dulciùs, quàm sibi, suoque funeri
fortunata vates præcinuit.

CAPVT XIX.

*ROSA mortis sue præscia cum ultima a-
gritudine generosè luctatur & san-
ctissimè moritur.*

Esta Divo Bartholomæo dies, quo
se morituram præsciebat, pretiosa,
& chara illi fuit, & studio singulari
quotannis culta: hinc suo non conten-
to jejunio, aliquot innocentes pueros

E

induxit,

induxit, ut secum in hujus festi pervigilio jejunarent. Mirabatur Mater quid filiæ tam peculiare cum S. Bartholmæo verteretur, donec audivit à Virgine, hūc sibi nuptialem diem fore. Supererat adhuc Rosæ triennium mortalitatis cum ex gravi morbo decumbens videbatur omnibus vitæ marginem attigisse; at illa omnium judicio complorata, certò asseruit, distare nimiū optatissimam metam, ad quam properabat. Annum denique suæ ætatis trigesimum primum ingressa, cujus ad exitum se non deventuram cognoverat, quatuor ante obitum mensibus optimè valens Gundisalvi Quæstoris uxorem admonuit de tempore, ac mortis genere, quo viam universæ carnis ingressura erat; quinimò & locum designavit, in quo corporis vinculis erat solvenda. Didicerat ex celebri visione arcuū, (de qua supra locuti sumus), totam seriem immanium dolorū, quibus ultimò lancinanda erat, eosq; acutissimos, & adeò multiplices fore, ut angula exhausti corpusculi membra pro-

proprium equuleum essent habitura: siti eadem sese torquendam, qua in Cruce Redemptoris fauces aruerunt, intimas ossium medullas ardore intolerabili depascendas: Illa tantæ amaritudinis calicem nil expavescens, in facello Rosarij obtulit sese beneplacito divino, adeoq; strenuè ad epotandum absynthium se comparavit, ut cordis ardor vultum vehementer accenderit, & satis constiterit tunc vicini sui obitus præcisam diem illi fuisse revelatam. Deniq; triduo ante fatalem ægritudinem adiit parentum ædes, valedictura ibidem hortensi cellulæ coelestium suarum deliciarum conficiæ. Hic olorino cantu mortem invitavit, & miris blanditijs S. Patrem suum Dominicum est allocuta, eiq; matrem à se destituendam commendavit. Calendis Augusti sub vesperam sana, & vegeta suo se cubiculo incluserat, cum ecce sub noctis medium auditur miserabiliter ejulare: accurrit Quæstoris Vxor cum filiabus, & ancillis, inveniuntque ægram toto corpusculo extensam per
E 2 solum,

solum, rigidis sine motu, membris ; At illa interrogat quo malo angeretur, & velletne medicum advocari, malum quidem se nullum habere dixit, sed ipsissimam mortem in intimis viscerum suorum penetralibus liberrimè dominari cœlesti verò medico tantum invisibili opus esse. E terra in lectulum sublata frigidus sudor stagnabat in pallida fronte, luctabatur velut ingenti mole pressa respirandi facultas, tumorque ac tremor exangue corpusculum oberrabant. Subinde libero suspirio Jesu nomē tenerrimè pronuntiabat, quod unicū illi erat solatium. Adfuere medici, qui statim explorata vi pugnantiū morborum, statuerunt, acerum tot cruciatuum humana patientia superiorem videri, neque dolores illos naturales esse, at calicem ipsum, quem Sponsus biberat, jamq; miscebat amātiſsimæ sponsæ. Et illa quidem à Confessario, veritone ab humili modestia proveniret Rosæ silentium, pro imperio adacta, manifestè aperire quibus nam cruciatibus intabesc-

tabesceret, licet experimento morborū
omnia genera didicisset, hunc tamen
utpote peregrinum, non nisi per simi-
litudines potuit explicare, dixitque: v i-
deri sibi candentis ferri globum per
tempora adigi, à summo vertice usque
ad infimam plantam dexteri pedis igni-
tum veru transmitti, & simili ardore
transversum á sinistro latere per medi-
tullium cordis ab ignito pugione perva-
di, à quo decussato ardoris tormento
forma Crucis exprimebatur; viscera
per frustra candenti forcipe evelli: caput
inclusum candenti galeæ videri, & vali-
dis puncturis ceu malleorum ictibus
contundi: ossa resolvi sensim in pulve-
re, medullas instar cinerum aruisse. Flu-
ctuantibus in mutuo aspectu confusis
medicis, Rosa clam suo Confessario a-
peruit; frustra illos in exploranda mor-
bi specie laborare, cum totus præter
naturam esset; quocirca unica sibi tole-
rantia opus fore, ut quoquo modo sin-
gulos Crucifixi Sponsi sui dolores expe-
riretur: sinerent illam absque omni hu-

mano alloquio aliquot dies jacere, cum-
que amore suo, cui se membratim con-
fixam in cruce sentiebat, colloqui per-
petuò. Præfixa Augusti dies interim il-
luxit, quam in Calvariæ monte, non in
Thabor cum Christo transfigurato
transegit; namque accessit sinistri late-
ris paralyfis, perque consequentes dies
pleuritis, asthma, ischiades, colica, ar-
thritis, denique continuæ febris ardor
acerrimus. usq; adeò tota morborum
cohors debuit incumbere, ut unica hæc
Rosa fatali ægitudine solveretur, & ar-
ticulatim moriens gloriosum ferè mar-
tyrium ab amore Sponso illatum subi-
ret. Placidissima tot inter cruciatus a-
nimæ quiete fruebatur, suosq; dolores
intendi, & uberiores pœnas suis crimi-
nibus irrogari flagitabat. Subverebatur
Virgo sapiens, ne tot simul morborum
continua, & atrox violentia sibi rationis
usum eriperet, ideòque tremula voce,
flebiliq; supplex obsecravit domesti-
cos, secum orarent Deum, ut illi se in-
fortunio eriperet: & divina pietas res-
pexit

pexit humilitatem ancillæ suæ, & integrum illi expediti judicij, ac linguæ vigorem peculiari prodigio inter assidua exhausti cerebri deliquia servavit immunitatem usque ad extremum halitum; cum tamen sæpè inter hos angores ab usu exteriorum sensuum illam abduxerit vel morbi violentia vel contemplationum excessus. Incredibili siti torquebatur, cumque bibere sibi per medicos non liceret, amarum tolerantia calicem ad imum usque fundum exhauriebat cum Sponso. Tenerrimam conscientiam exomologesi pluries iterata, ac semel de toto vitæ decursu sese accusans, quàm diligentissimè expiavit; ita ut procul audirentur gemitus & suspiria. Triduo ante felicem Transitum divinum viaticum, & sacrum oleum poposcit. Ut audivit epulum Eucharisticum sibi afferri vivido colore suffusa coruscantis auroræ instar gratiosè rubuit, mox gaudio suo impar in altissimam extasim digruit, & suscepto divino Sacramento pallido & exangui ore fixa hæsit. At

extremam unctionem tam alacri omniū sensuum officio moribunda excepit, ut verè oleum lætitiæ fuerit, quo se potius ad triumphum, quàm ad agonis conflictum sensit animari, utpotè salutis adeò certa ut insuper nosset absque lustralis ignis contactu se recto itinere ad Sponsi nuptias profecturam. Sæpius elata, & sonora voce se orthodoxæ fidei filiam professæ est, ac S. Dominici sobolem, candidum ejus Ordinis interfigne, quod scapulare dicimus, continuè, & patulè ante se protensum volens. Exquisitis, ac summè efficacibus verbis, veniam à Deo exoravit pro illis omnibus, qui in toto vitæ decursu molestijs, damnis, alijsque se injurijs affecerant, & Crucifixi parvum simulachrum manu stringens, satiari non poterat his verbis: Pater ignosce illis. Domesticos omnes acciri demissè petijt, & licet ex his neminem verbo, aut minimo unquam nutu offendisset, à singulis, & omnibus lachrymosa voce oravit condonari sibi, si qua in re ulli molesta accidisset:

cidisset : dolere quòd adhuc per biduū
illis oneri esset futura : haud procul ab-
esse horam, quæ domum Gundisalvi à
foetidæ Rosæ longo fastidio, inutilique
pondere liberaret. Nemo fuit, cui hæc
verba uberes lachrymas non excusse-
rint, omnes enim eximiâ illius sanctita-
tem mirum in modum venerabantur.
At Quæstor metuens ne post obitū Ro-
sæ de condendo tanti funeris thesauro,
lis inter Parochiam, & S. Dominici
Conventum exurgeret, nec ausus mo-
destissimæ Virgini honorificum illud
periculum aperire, ingenioso consilio
dixit, obtinendæ apud Fratres Prædica-
tores sepulturæ desiderium potius men-
dicando, quàm testando innueret : quod
ipsa præstitit, cum sui Ordinis esse morē
existimans, & veluti indignam expelli se
posse timens, nisi hoc infinis precibus
impetraret. Sub vitæ finem crebriora
Virgini fuere dulcissimorum raptuum
intervalla, quibus paratæ cœlestis glo-
riæ saporès jam delibabat, & iisdem gra-
tibus, quibus debile corpusculum fa-

E s

tiscibat

tiscebat in mortem, animus in vigorem,
& securam hilaritatem attollebatur, adeò ut auctam in singulas horas lætitiã
nec voce, nec vultu dissimulare jam posset. Paucis ante obitum horis ab humanarum rerum exilio in se regressa, P. Fr. Francisco Nieto ingenuè ac secretò dixit: Oh quàm excelsa, quàm pretiosa, jucunda, eximia tibi de suavitate Dei, de læta ipsius curia, de regione æternitatis narranda haberem: vado nunc cum tripudio ad perenniter contuendam pulcherrimam illam faciem, quam toto peregrinationis meæ exilio quæsivi. Omni deinde officio parentes, quosque parentum loco habuerat, Gundisalvũ, ejusq; conjugem est prosequuta: tum germanos fratres sensim, deinde Quæstoris filias, tum reliquos domesticos efficacissima oratione ad amorem virtutis inflammavit. Media nocte clamor factus est, & Sponsus venit, quem Rosa vultu sereno, & hilari excepit: Germano fratri innuit se migrare, & cervical subtrahi jussit, ut capite ad nudum lignum

lignum acclinato delibaret Crucis incommoda, & Jesus, Jesus mecum sit dulcissimè ingeminans, ad illum evolavit.

CAPVT XX.

ROSE funebris conductus, exequia, tumulus; eiusdem sepulchrum Ordinarii auctoritate mutatum, solemni Corporis translatione, & ingens Fama sanctitatis.

Vividus faciei color, labia rubentia, & in risum diducta, ambiguum fecere adstantibus Rosæ mortem, donec adhibito speculo patuit nullum in ea superesse halitū. Tunc omnes repentino prodigio pervasit arcanus lætitiæ sensus, ac tota domus visa est innatare gaudio nuptiali. Ex adstantibus una vidit numerosa Angelorum corona Rosæ lectū circumdari, eademq; juratò asseruit, ante felicem Rosæ transitum fuisse à Christo revelatum, Virginis mortem fore admirabilem, & sepulturam gloriosam, & vetuisse ne funeri circumponeretur.

panni lugubres, sed imperasse, ut nivei, quique triumphum decerent. Ac triumphantis quidem in morem deducta ad Tumulum Rosa fuit, namque vix dies illuxerat, cum ad Quæstoris ædes innumera hominum vis accurrit, mirantibus domesticis, unde, aut quo pacto nunciū defunctæ & calentis adhuc Rosæ tota Urbe diffundi potuerit. Circumfusi promiscuè nobiles, ignobiles, advenæ, Cives, Indi, Hispani certatim Rosaria sancto Corpori applicuerunt: Hic flores vesti impositos diripere, hic vestis extrema, hic pedes raptim deosculari. Tentaverant pluries oculos defunctæ Virginis obtegere adductis palpebris, sed frustra, nam sensim recedentes liberum Columbinis pupillis aditū dabant, ut Limenses suos dulciter intuerentur. Nisi Prærex armatæ suæ custodiæ Cohortem prætoriam eò destinasset, explicare se domo funebris pompa non potuisset; adeò turba innumera compleverat atrium, ambulacra, & angulos omnes: Quin & plateas, fora, vicos, qua
tran-

transeundum erat, aliquot ante horis occupaverat. Ideo Archiepiscopus, qui prodierat funus deducturus, ad Gundisalvi ædes eluctari diffidens, recta perrexit ad Templum Divi Dominici, ibique ad valvas virgineum funus præstolatus est. Interim sacra omnia sodalitia, Religiosæ familiæ confluxere & ipsum Metropolitanum Collegium, præter morem ultrò adfuit; namq; solum Archiepiscopos solet efferre. Accessit amplissima Curia Senatorum, qui honos defunctis Proregibus præstari solet. Matronarum ambitiosa pietas, & visendi ardor fenestras, pergulas, arcus occupaverat, & certè nunquam aliàs sic visa est universa Civitas commoveri. Supposuit humeros feretro Capitulum Metropolitanum, deinde mutatis vicibus Curia Senatorum, mox Primores ex Religiosis Ordinibus. Feriebant sydera clamores, Sanctam afferentes Rosam, & nisi hastatorum bipennes quasi sepem objecissent corpori, pars illius exigua templo fuisset illata. Ut limen attigit,

nova jucunditate exhilarescere visa est Virginea facies, & in Sacello, cui à Rosario nomen est, prodigiosa imago Dei-
paræ repentè fulgore insolito micuit, & manifestis lætitiæ argumentis visa est excipere Rosam suam. Mox eò confluit torrens ingentis populi, cumq; omnes viderint splendores infuetos; fuerunt etiam qui suspicarentur, imaginem portentoso sudore maduisse. Tumulū Rosæ circumfidebant Patres dignitate, & senio graviores, tum ne thesaurus ille diriperetur, tum ut eidem admoverent debiles & claudos, qui spe obtinendæ salutis accedebant, neque spe frustrati sunt, ut consequenti capite palam fiet. Ponè constitit hastata Proregis Cohors, ut confusam molem irruentis populi distineret, si posset. Sepulchro tradere sacrum Corpus destinabant Patres, cum tanta insonuit populi vociferatio, ut supersedendum fuerit, & nisi certa spe lactatus fuisset populus, domum nemo se recipisset. Sed turba, quæ templum infederat, dilapsa, confluit alia, & Archie-

chiepiscopus nutu, (namq; vox audiri non poterat,) iussit corpus Virginis in Sacristiam deportari; cumq; nec ibi esset in tuto, raptim inferri adytis Novitiorum. Ibi Archipræsul fusus in genua manum Virginis devotè osculatus, eam in singulis digitorum articulis, perinde ac si viveret, tractabilem sensit. Postridie laxatis templi foribus, & relato Virgineo corpore, undatim irruit admissus populus, neq; incolæ tantum, sed & remotiores Accolæ, qui à sex & amplius leucis accurrerant. Proregis milites impetum frænare non potuerunt, ideoq; omnis ætas, & sexus, ad feretrū eluctari contendit: hic calculos precarios, alius sudarium, numisma, & quidquid ad manus erat, contingendo sacro Corpori prætendebat. Turba languentium penè cum jurgio festinabat accessum, pueri per obstantium capita sublimes mittebantur ad contactū salutis, & vix ipsum corpus servari potuit, cum velis, capillis, & vestibus direptis sexies mutanda Rosæ fuerint indumenta. Resonabat
unde-

undequaq; templum perpetuis vocibus Sanctam proclamantium, & pulsu, ac tintinnabulis signū dabatur choro, cum respondendum erat Sacerdoti ad Aram facienti: sed nisi Cantores Choro egressi ipsum Altare circumstetissent, consummata non fuissent divina Mysteria. Antistes ē throno progressus ad feretrū ultimam efferendi ad tumulum corporis pompam adornabat, cum iterum validioribus ingemuit clamoribus stipata turba, rursus densato cuneo undiq; irruit in suggestum, ideoq; præsens periculum direptionis divertendum fuit oblata populo dilatione sepulturæ. Confirmavit spem pulchritudo, & suaveolentia virginei corporis, quæ, nullum fore periculum, spondebat, si vel in plurimos dies publico conspectui superesset. Per sex horas supra triginta idem perstiterat oris decor, oculorum patentium fulgor, & candor manuum: Nulla infederat vultui fuligo sub aëre tam humido, calido, & ex concurrentium refluxibus pulverulento. At mirifica

fica cœlestis odoris fragrantia spirans à
sacro Corpusculo post decem & novem
menses recreavit illos, qui exhumatā
Rosam nobiliori sepulchro crediderūt.
Sub meridiem clausis templi foribus &
elusa spe populi redituri, conditum est
Rosæ corpus in præparata è Cedro arca,
& in æde Capitulari sepultum. Ut pri-
mùm fores patuere, irruit unda populi,
& Sanctam inclamans, pulverem sepul-
chri, terramq; certatim asportavit. Indè
continuo fluxu rhedarum, paterna Rosæ
domus frequentari cæpit à nobilibus
viris, qui hortensem cellulā veneraban-
tur, quam Virgo solitudinis studio in-
habitaverat. Eximia prodigia, quæ pa-
lam crebrescebant, mirum in modum
cōmendabant populō sepulchrum Vir-
ginis, cui nondum videbatur exhibitus
debitus cultus. Idcirco solemniores in-
staurare exequias (quibus ipse Prorex in-
teresset,) statutum fuit, cumq; diu inter
illum, & Archiepiscopum amica quaestio
agitata fuerit, eò quòd præstituta dies,
& sæpè variata, semper alterutri incom-
moda

moda accideret, tandem ambo in quartam Septembris convenerunt, omnino insciji eam S. Rosæ Viterbiensis honori dedicatam esse. Tota iterum sedibus suis emota Civitas Templum implevit, & dum Sacerdos Numini commendabat Rosam, voce non impari sese Populus commendabat Rosæ, cujus fama celeberrima brevi totius Regni oppida permeavit, Potosi trecentis leucis Lima dissitum, in communem gratulationis impetum efferbuit, sonuere in turribus æra campana, micuere luminaria, & tota passim Regio Peruana Rosam celebravit, à qua cuncti populariter sibi suffragium pollicebantur: Neque tractu temporis clanguit populi ardor, namque miraculorum celebritas, & multitudo in dies ad invisendum Rosæ sepulchrum plures accersebat, ideo cum tota Urbs, & vulgus pariter, & utriusque ordinis Principes, assererent Rosam communem Limensium thesaurum publico deberi, Archiepiscopus omnium ardentissimo studio libenter annuit, & initio anni

1619. prodijt è sepulchro Virgineum corpus incorruptum, & suavissimum odorem inhalans. Celeberrima pompa delatum fuit in templum, ubi egregius orator de admirabili Rosæ Sanctitate verba fecit, ac tandem illata Virgo fuit cryptæ ad dexteram summi Altaris, ubi cum nimium glisceret populi turba, (namq; omnes ad sepulchrum Virginis velut ad secundam aram subitò convertebantur: hic perpetuus tumultus erat offerentium vota, suspendentium anathemata, deponentium scipiones,) consulendum fuit reverentiæ sacri Tabernaculi, translatis exuvijs Rosæ in Sacellum S. Catharinæ Senensis. Interim Litteram pervenere literæ Apostolicæ, quibus autorati Judices Tribunal ex formula sacrorum Rituum erexêre, ut examen instituerent de vita, & gestis Ancillæ Dei, Sororis Rosæ à Sancta Maria. Aduêre 183. cumque solum superesset inspectio Reliquiarum, delegati ad hoc munus repererunt, Virgineum corpus expleto post obitū anno ferè jam quintode-

to decimo, ossibus integris, & sicca hinc inde carne obductis, spirans odorem, quo fragrant siccata ad Solem Rosæ. Hinc aulam Capituli radiere lustraturi primum Virginis sepulchrum, è quo certatim fideles hauriebant pulverem ad varia morborum genera depellenda; cumq; non nisi quinque pōdo terræ visa sint cruta, aliunde constitit complures modios ex illo met foramine fuisse effos. Sed cū exinde Procurator Generalis Ordinis Prædicatorū admonuisset Limenses Patres, habendam esse rationem constitutionis Urbani VIII. quā Viris nondum albo Beatorum adscriptis Apostolica autoritate publicus honor interdicitur, illicō intempestivum cultum venerabilis Rosæ abolendum censuerunt, Populus Sacellum quæstibus implevit, & sparso in vulgus rumore, clam in Hispaniam delatum esse Rosæ corpus, non leve periculum imminuit Religiosis viris, qui non sine labore cōpescuere turbas, ostendentes, ita consulendū illustrioribus Rosæ honoribus, qui

qui ab Apostolica Sede sperantur. Et
his quidem præludit eximia fama San-
ctitatis, quæ omnes rapit in admiratio-
nem Rosæ. Nimirum quantum protēde-
retur hoc qualecunque compendium,
si elogia Præstantium Virorum hic sub-
necterentur. Non tantum sacra D. Do-
minici Familia literis communi nomi-
ne datis, Sanctā illam, admirabilem, cla-
rissimis illustrem miraculis, & prophe-
tico spiritu, inque omnibus D. Catha-
rinæ Senensi supparem dicit, sed & Li-
nense Cœnobium Patrum sanctæ Ma-
riæ de Mercede, & Nicolaus Mastrillus
Duran Provincialis Societatis Jesu
communibus suorum votis, & Sacer-
dos Joannis Dei, & PP. Eremitarum
Augustini, & Minorum S. Francisci,
& Ecclesiæ Metropolitanæ Limensis
omine datæ literæ Summum Pontifi-
cem infimis precibus exorant, ut in
sanctos referat Rosam, & tutelarem
imæ concedat: Ejus virtutes enume-
ant, ac notissimam Sanctitatem, & ad-
miranda prodigia. Addenda hic esset re-
latio

latio perhonorifica, qua Eminentissimus Princeps Decius Cardinalis Azolinus in sacra Rituum Congregatione coram Sanctissimo D. N. die 15. Septembris 1663. Rosæ virtutes enumeravit, & supplices literas novem diversorum Ordinum, ac Illustrium Virorum Limensium, tres Regis Catholici, tres iidem Eminentissimi Card. de Aragonia, & binas Magistri Generalis Ordinis Prædicatorum, & perseverantiam & augmentum famæ Sanctitatis, & devotionem Populorum, quam amplificatam dicit miraculis supra centum novēdecim ex processu remissoriali auctoritate Apostolica confecto.

CAPVT XXI.

ROSA post mortem, & sapissimè, & multis apparet gloriosa. Eadem in scelestorum conversionibus, & obstinationum cordium emollienda mirabilis.

PRæfari libet, hæc etiam quæ consequuntur, prodigia ex authenticis processibus Signorum, Gratiarum, & Mi-

Miraculorum fuisse delecta. Aloysia de Serrano ut sapissimè Rosam immortalem vidit, ita semel præsertim inter agmina Beatorum à Deipara Virgine deductam ad Solium divinum, & immensa gloriæ corona decoratam. Testatum reliquit coram Apostolicis Judicibus. Quæstor Gundisalvus, viginti & duabus vicibus S. Viro conspicuam fuisse gloriam Rosæ, quæ pariter doctori Joanni Del Castillo videndam se præbuit in fulgidissimo lumine, rosas undiq; circumdatam. Deinde verò plusquam quinquagies eidem illuxit, multa, ac sublimia illi edisserens de felicitatis suæ excelso fastigio; quin idem in postrema depositione anni 1663. persanctè asseveravit, integro sex mensium spatio interdiu, noctuq; se divinitus admissum ad tantæ beatitudinis spectaculum, ac deinde cœlesti Ephæbo Rosa imperatum ut suas vices obiret. Quàm plurimis alijs notæ Sanctitatis Rosa videndam se obtulit, nunc in Cœli viridarijs cum Christo perambulans, nunc eidem Limanam Urbem, & Regnum Peruanum comendans, nunc vultu

hilari, & jucundo nutu probans ea, quæ
referebantur in tabulas à Quæsitorebus
virtutum suarum, nunc adornans con-
clave, chartam dirigens, & graphiaria
instrumenta Notarijs disponens, excep-
turis ea, quæ testes proferebant in com-
mendationem sui, & ridenti ore visa gra-
tiam pro obsequio sibi exhibito spirare.
Fuit etiam quæ nocte concubia hæc
verba audivit: Rosa verè Sancta est, qui-
bus confirmata sunt ea, quæ de Rosæ
Virtutibus juratò protulerat. At Dida-
co Hyacintho Paceco, qui ex quotidiana
nos hypographiæ artis lucro victitans
jussus fuerat in causa venerabilis Rosæ
bis mille folia processuum, seu actorum
intra certum tempus scribendo absol-
vere, jamque desperabat se oneri parem
fore; adeò lassabantur digiti, stupebat
brachium, divaricabantur nervi, in som-
nis Rosa se scribæ suo exhibuit, & leni-
ter accedens dexterum jacentis brachiū
comiter arripuit, validè strinxit; & e-
vigilans Pacecus scripsit ab aurora ad
usque Solis occasum, nulla digitorum
lassi-

lassitudine, nullo cruciatu nervorum, brachio levissimo, & supra modum expedito. Perrexit deinde reliquos dies descriptioni laboriosæ citra laborem impendere, attonitis quicumque Pacecum noverant, ejusq; pulcherrimum characterem tot chartis illitum viderunt. Decumbebat in Limano Cœnobio P. M. Augustinus de Vega Ordinis Prædicatorum tunc Peruvix Provincialis, jamque de hominis vita conclamatum erat, cum Rosa Christophoro de Ortega suis in ædibus dormienti imperat primo diluculo Cœnobium adeat, & Provinciam moribundum conveniat, denun-
sians, nequaquam illum tunc è vivis abiturum, sed aliquamdiu sub Episcopa-
li infula in vinea Domini laboraturum, quod re ipsa contigit. Celeberrima peccatorum apud Deum Causidica, ut convertantur, & vivant, Rosa fuit. Quàm-
olurimi ad solum Virginei corporis in-
feretro contactum ita fuere compun-
tionis stimulo perculsi, ut ibidem cæ-
perint coram Populo clavis vocibus sua

F

scele-

scelera detestari, & inter hos nonnulli juvenes liberioris vitæ, qui eò solum consilio venerant, ut defunctam pulcherrimam Virginem intuerentur. Successivis deinde intervallis ad Mariam de Oliva Rosæ Matrem ivère complures, etiam ex Religiosis ordinibus, ut illius egestatem aliquo subsidio recrearent, professi hoc tributum pendere Rosæ, cui debebant felicem suæ vitæ permutationem. Quidam profligatæ conscientiæ vir, nunquam toto sacrilegæ vitæ suæ decursu ritè confessus, at alterius pietate Rosæ commendatus, ab annoso conscientiæ lethargo evigilavit, adeoque animum, quem callus obduxerat, timor Domini emollivit, ut deinceps umbræ sceleris horruerit. Ex concordî plurimorum, qui confessiones exceperant, testimonio liquidò constitit, post imploratum Rosæ in Cœlis auxilium innumeros tum limæ, tum in universo Regno ex abyssis scelerum emeruisse; quod beneficij genus inter validiora solidæ sanctitatis argumenta ex communi San-
ctorum

ententia meritò computatur. Quid
quòd Lima paucis à Virginis obitu die-
bus tortilia disciplinarum flagella, seta-
rum cingula, & variæ fortis cilicia ob-
emptor um multitudinem subito defe-
cerunt? Insignes peccatrices luxuriæ no-
dis exuta in calle Virtutis constantem
fixere Pedem: In universa Peruviana re-
gione Sacramentalis Pœnitentiæ admi-
nistri communicatis indicijs adstupuere
tantam morum mutationem in populo à
die, qua Rosa in Sponsi sui Regno ecce-
pit agere causam Civium suorum. Fœ-
minæ certatim abjecere vestium luxum,
Religiosa claustra cruentis flagrorum
stibus perpetuò personuerunt. Con-
fessariorum ubiq; sedilia planctu & ge-
mitibus sunt obfessa, & vir gravissimus
iuratus asseruit, ex quo Peruvia nostris
detecta patuit, nullum inclaruisse divi-
ni verbi concionatorem, qui tam uni-
versalem pœnitentiæ spiritum, & lucu-
tentum pietatis incendium excitaverit.
Et egregiæ quoq; virtutis viros ad stu-
dium Sanctitatis accendit veluti Patrem

Joannem de Villalobos Rectorem Tyr-
ronum Societatis Jesu, qui cum à mo-
ritura Rosæ postulasset, ut se traheret in
odorem virtutum suarum, ab ejus obi-
tu sensit arcanas cordis sui unctiones, &
stricturas insolitas luminum diviniõ.
Quid quod & quòcumque libitum illi
fuit, Rosæ pertraxit animos rebellantes?
Mariam de Xuara scēminam prædivitē
& opulentam implacabiliter aversam
privignis suis Francisco, & Alexandro
de Coloma, & eorum octo Consobri-
nis pauperrimis, ita emollivit exorata à
Francisco, ut consequenti manē illicò
matertera resciderit testamentum, quo
alijs omnia sua legaverat, & hæredes ex
asse scripserit, quos antea oderat mirum
in modum. Ludovica Barba vix non
examinis concidebat, cum audiret à
Confessario suo divinitus innotuisse
Rosæ, quod ipsa religiosum habitū esset
aliquando indutura; sed illicò à morte
Rosæ Ludovica exarsit ambitu sacræ
vestis, quam antea veluti Medusæ vul-
tum horruerat. Alteram Ludovicam
de.

de Mendoza, incertam, ac de Rosæ Sanctitate animo fluctuantem, repentinus angor invasit, adeò ut manibus, pedibusque mutilatam se crederet: gravior ejusdem spiritum caligo, ac tempestas mentem obsedit, ac turbatum cor quoddam veluti terræmotu succuti cœpit, quæ omnia evanuerunt statim atque elatis vocibus intonuit: Rosa verè Sancta est. Usq; adeò pro Sponsæ suæ honore zelabat Sponsus ille divinus, cui venti obediunt, & mare.

CAPVT VLTIMVM

ROSÆ defunctæ attactu, odore, veneratione, mors, morbus, pericula depelluntur. Eiusdem cingulum, vestes, sepulchro exemptus pulvis, & pictæ imagines, phrenesim, cancerum, lepram, & omne morborum genus mirabiliter curant.

Quamvis perpetuum prodigium fuerit Rosæ vita, innumeris illam ad aliorum salutem miraculis decoravit Deus, quæ si omnia percenserem, procul

cul à compendij legibus iret historia nostra. Præstantiora quædam sufficiat indicasse; inter quæ principem locum tenet revocata ad vitam Magdalena de Torres filiola fenestris Gregorij Agricola, quæ cum exanimis à vespere ad usque postera diei lucem jacuisset, jamque paratus effodiendo sepulchro sarculus adstaret, attactu vestis Rosæ illicò viva, & sana in lecto confedit. Antonius Bran tribus mensibus cum febris, & angore pectoris congressus, tandem jacuit sine motu, anhelitu, ullove vel minimo signo vitali, nec vellicatione, vel pulsu ullum à gelido corpore potuit extundi, argumentum superstitis vitæ, quam tamē post aliquod tempus in corpus revocavit Rosa ab adstantibus implorata. Dum in Templo superfuit virginium corpus quàm plurimis manifestam salutem attulit, veluti Elizabethæ Duran, cujus brachium à multo tempore siccum, & inutile humana ope curari non posse, Medici statuerant: Et servus Æthiops qui dexteri brachij, manusque

nusque usum ex plica, & nervorum attractione amiserat: Et Georgius de Aranda Presbyter qui ob excepta in sinistro brachio vulnera in bello Chilensi, sanie, convulsione, ac tumore attractam manum, vegetam, sanam, & flexibilem reperit: Et Alphonsus Diaz mendicuss toti Limæ notissimus, qui humili nixus fulcro manumque & pedem ex attractione inutiles per solum trahens, illico exilivit in pedes, postquam ad Rosæ tumulum oravit: Adreperunt & pueri duo Æthiopes quorum alter nec pal-
lum à terra erigere se, alter vix grallis utcumque librare se poterat, & Rosæ beneficio extemplò incolumes duxere per templum choreas. Pueros quàmplures varijs morbis implicitos repente Rosa incolumitate donavit, ideoque certatim de manu in manum porrigebantur, ut ad salutiferum contactum pervenirent. Quid porrò enumerem re-
vocatos à faucibus mortis adhihito cingulo, velis, particulis vestium, aut alijs, quæ pia sedulitas Rosæ corpori admo-

verat? Nullum penè genus ægritudinis
esse reor, quo aliqui pertentati salutem
Rosæ non debuerint. Et capite laboran-
tes, & intolerabili cruciatu dentium, &
oculis aliquamdiu capti, & cancrena
perusti, lepra, impetigine, apostemate,
arthritide, hydrocela, angina, ad ulti-
mum vitæ discrimen adducti: Et ex al-
to in profundas foveas prolapsi, & ab
equis super irruentibus oppressi: Et qui
mortem hauserant in poculis venena-
tis: Et quibus non nisi ad dolorem &
onus luxata brachia, pedesve supererant.
At quos urebat ardentissima febris, tam
præsentem Rosæ opem experti sunt, ut
omnem adnotandorum diligentiam su-
peraverint, & Joannes Lobo Presbyter
sacramento coram Judicibus firmaverit,
se diversissimis locis Chuquisaquæ, Po-
rosij, Oruræ, alibi flagitantibus promi-
scuè omnis ætatis, sexus, conditionis
infirmis præbuisse potum vivificæ ter-
ræ, exemptæ sepulchro Rosæ, & illic
in omnium conspectu ferè innumera
curata fuisse languorū genera, & febres
præ-

præcipuè statim abactas. Pepercerat hæc terra prodigiosè corpori Rosæ, namque cum Eimense Cœnobium trecentos numeret Religiosos viros, ut aulâ Capitularis excipere possit omnia decedentium cadavera, ex agro Panamæ advecta gleba fuit tenuis, soluta, arenosa, & innato calore subtiliter vorax, quo extemplo resolvat ossium duritiem, & ingesta funera absumat. Mirum dictu! unico, totoq; illo spatio, ubi sacrum Rosæ corpus immissum fuit, gleba mutavit indolem, ac ferè pumicea soliditate in se coacta obduruit, ut solùm ibi digitis, leviq; manu teri, aut frangi nequeat; quin ferro opus sit ut excavetur: non sic reliqua illius cimiterij suburra tritu facillima, tractabilis, fluida. Porro in hoc Rosæ Cœnotaphio ad perenne humani generis beneficium viva salutiferi pulveris scaturigo latet, quod præsertim patuit anno 1632. cum post exportatos inde, totoque Regno distributos terræ cophinos, vix tria, vel quatuor pondo cavo scrobiculo eruta.

vifa.

visa sunt. Et cum pater F. Bernardus Marques paucis ante diebus totam immisisset brachium foramini, paulò post succrescente iatus pulvere, vix manum immergere totam potuit. Sexenni Virgini musculos gutturales inflammarat Synnâche, & Chirurgus ulcere inspecto negaverat puellam curari posse, namque cancrena se plagæ insinuaverat, & crocæ carnes frustillatim ulceri excidebant: atque indies serpebat malum. At epoto salutifero pulvere convaluit. Ab annis viginti Abbâtissa Monasterij S. Claræ miserrimè torquebatur ex inflammatione tibiarum, in qua sparsim plusquam quadraginta ulcerum hiabant ora, sed & febrim per viscera sævientem extinxit, & vulnera clausit pulvis hic salutaris. Sed quid singula enumerem? Fœminas præcipuè puerperij doloribus tabescentes præsentissimo auxilio Rosæ sæpissimè recreavit, idcirco quam plurimis pueris, ac puellis, additum fuit cognomen de Rosæ in perpetuum beneficii monumentum. Ipsa natura voluit aliquando


quando superesse mnemosynon beneficij à Rosa collati, veluti in Petro de Quixano, qui cum transversim actus in utero matrem exanimaret, ope Rosæ prodivit statim, pictam gerens in dextera palpebra Rosam. Et aliàs huic novi Orbis Thaumaturgæ optemperarunt mutata naturæ vices, ut quando Taurus ferociter irruentes compescuit, & piscibus imperavit, ut in ætia confluerent, & puellæ decenni, vires addidit, ut pondus erigeret, cui quatuor robusti baiuli impares fore credebantur. Quin etiam mentem aliquibus ab ejus statu dimotis illicò redonavit. Hinc universæ Peruvix incolis commune studium fuit, in prodigiosæ virtutis memoriam passim per ædes, Rosæ effigiem habere, cuius osculo quàm plurimi cum morte luctantes, enormiter saucij, per humum solutis membris repentes, salutem illicò receperunt. Ex his imaginibus aliquæ pallentem Rosæ vultum referentes, visæ sunt venustè in genis rubere, & blando fulgore hilaritatis suæ, omnia
animos

animos accendere ea die , qua publicè
perlectæ sunt Apostolicæ literæ com-
pellentes undique fideles ad Rosæ pro-
digia sacris Judicibus deferenda. Ho-
rum admirabilem & copiosam narra-
tionem qui velit, consulat Historiam de
Venerabilis Rosæ vita, elegantissimè ,
& ingeniosè contextam à R.P.M.Leo-
nardo Hansen Provinciali Angliæ
Ordinis Prædicatorum.

F. Antonius Gonzalez.

FINIS.





c
BAG 71
G64321



John Carter Brown



